PALLAD:
EXPOSITIO
CATECHISMI
1552.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

3,– 411

DA BOX

Kompletteret 1923 ved Fotografier efter det komplette Eksemplar i Videnskabernes Selskabs Bibliotek i Trondhjem.

LN 1265

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

BREVIS EXPOSITIO CA-TECHISMI PRO PA-rochis Noruegianis,

Per

D. Petrum Palladium.

Cum præfacione Philippi Melanthonis.

VVITEBERGAE.

M. D. LII.

Petrus Schildcrop

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

REVERENDIS VIRIS PASTORIBVS ECCLEſiæ Dei in Regno Danico, Philippus Melanthon. S. D.

OPTIME congruit imago Halcyonum ad Eccleſias in Regno Danico nunc præſertim, cum dei beneficio, uerius ibi Sint Halcyonia quam uſquam in toto orbe terrarum, ut enim aiunt Halcyonas in mari in arduis Scopulis nidulos conſtruere, & ibi in media bruma incubare ouis & pullos excludere, quo tempore quanquam nulla pars hyemis horridior eſt, tamen aliquot dierum in mari tranquillitas eſt, ne fluctibus, nidi & oua obruantur ac diſsipentur. Ita in Inſula Dania inter Scopulos Deus collocauit Eccleſias ſuas, in quibus uox Euangelij incorrupta ſonat, & ſtudia optimarum artium & linguarum recte inſtituta ſunt, & in his tantis tumultibus aliorum Regnorum omnium pacem Regno Danico ita concedit, ut nec bella gubernationem politicam, nec ſeuicia cuiuſquam, nec diſsidia Eccleſias turbent. Et exemplum ibi dulciſsimæ deſcriptionis in Pſalmo conſpici poteſt, ubi dicitur. Cum conueniunt populi ſimul & Reges ut ſer=

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

uiant domino. Ibi, Dei beneficio, una uoce, & conſentientibus animis, in uera agnitione & fiducia Mediatoris, Deum inuocant Rex, Regina, Principes Filij, Doctores, & populus. Et Rex iuſte gubernat tot gentes, & exemplo ſuo ad pietatem, ad iuſticiam, caſtitatem, & ad alias uirtutes inuitat hominum animos, & Eccleſias fouet paterna benignitate, ac Studia Doctrinæ adiuuat. Nec ſinit hoſtes ueræ doctrinæ graſſari in Eccleſias. Talis gubernatio uere ſalutaris eſt ipſis Principib. & populo, ac iter eſt ad celeſtem Eccleſiam. Hæc dulciſsima Halcyonia gratulemur illi Regno, & oremus Filium Dei, ut & ibi, & in noſtris regionibus diu concedat Eccleſiæ, quæ uere eſt κυοῦσα ἐν ἁλί, id eſt pariens inter ſeuiſsimos fluctus, tranquillitatem ad piam educationem, ad ſtudia, & ad diſciplinam. Maxime uero neceſſariũ eſt in Eccleſia, catecheſin primæ ætatis & rudium ſedulo exerceri. Plurimum refert a teneris recte percipere elementa Doctrinæ, & adſueſieri ad intellectum ſermonis Euangelij, imo etiam ad inuocationis exercitia. Et uult Deus cœtum puerilem erudiri, uult huius agminis uoce inuocari, ut inquit Dominus. Sinite paruulos uenire ad me, quia talium eſt regnum celorum. Item. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Nec parua pars ueræ Eccleſiæ Dei exiſtimetur eſſe hoc agmen puerile. Quare ſingulari cura erudiendum & regendum eſt. Et deo gratum of-

ficium

ficium faciunt Principes, Paſtores, & Doctores qui aut ſunt ἐργοδιῶκται huius laboris, aut ſtudoſe hunc laborem ſuſcipiunt. Atq; utinam in omnibus regionibus hæc tanta res curæ eſſet ijs qui preſunt, & poſſent hoc neceſſariũ exercitium in Eccleſias reuocare, optarim etiam unam formã, in qua ſumma doctrinæ edita cõmuni deliberatione multorũ piorum & eruditorũ cõprehenderetur, extare, qua multæ gentes uterẽtur, ſicut Paulus iubet cuſtodiri ὑποτύπωσιν ſalubriũ ſermonum, Conducit enim ad perſpicuitatem & ad concordiam, proprijs uerbis, & ijsdem, quantum fieri poteſt, plurimos uti. Et ut talis aliqua cõmunis forma extaret, Reges & Principes curare oportebat. Sed multæ res impediunt tales deliberationes. Ideo interea pij Paſtores uideant, ne deſint ipſi ſuo officio. Vtantur autem libellis qui editi ſunt a Doctorib. Eccleſiarum in quibus ſonat uox Euangelij incorrupta, & probatis iudicio ſuarum Eccleſiarum. Talis & hic libellus eſt editus a uiro Reuerendo D. Petro Palladio cuius eruditio & pietas celebrantur in Eccleſijs Danicis & Saxonicis. Oro autem Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum qui uere colligit æternam Eccleſiam, ut nos gubernet ac faciat nos organa ſalutaria Eccleſiæ Dei, & nobis. Bene uale pie lector. Menſe Octobri, Anno. 1551.

VENERABILIBVS DO⸗ MINIS ET FRATRIBVS in Chriſto, Parochis in Noruegia Petrus Palladius, æternam ſa⸗ lutem optat.

SOLVS Catechiſmus domini & fratres in Chri⸗ſto Chariſsimi, facit miracula noſtro ſeculo, & transfert magnos montes, a regno tenebrarum, in reg⸗num lucis. Nam ut breuiter, ita etiam perſpicue docet legem & Euangelium. Per legem autem fit agnitio peccatorum, per Euangelium uero remiſsio peccato⸗rum, quæ duo ſunt neceſſaria homini ad ſalutem. Pari⸗unt enim duas partes pœnitentiæ, contritionem & fi⸗dem. Nam cor contritum & humiliatum prouenit ex agnitione peccatorum, Et ex auditu Euangelij naſci⸗tur fides, quæ ſola iuſtificat coram Deo, quia apprehen dit miſericordiam Dei, propter Chriſtum. Porro deca⸗logus, in Catechiſmo, complectitur legem, hoc eſt de⸗cem præcepta, in quibus homo, tanquam in ſpeculo, intueatur ſeipſum & ſua peccata, unde perterrefiat in conſcientia ſua humilietur ſub potenti manu Dei.

Symbolum uero tradit Euangelium fidem in Ieſum Chriſtum, unde mens perterrefacta rurſum erigatur, & conſequatur remiſsionem peccatorum, iuſticiam & uitam æternam.

Hæc autem ſunt, mera miracula, quia nullis huma⸗

nis ui⸗

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

nis uiribus fieri poſſunt. Sed Spiritus ſanctus creat tales motus in cordibus hominum, per auditum Legis & Euangelij.

Vt interim nihil dicam de Oratione Dominica, quæ Omnia impetrat a Deo, quæ ſunt neceſſaria corpori & animæ. Item ut nihil dicam de Sacramentis, quæ ſunt certa quædam ſigna gratiæ & remißionis peccatorum.

Solus itaque Catechiſmus, hoc tempore, facit miracula, Et transfert homines a traditionibus humanis, & doctrinis dæmoniorum, ad ſynceram Euangelij doctrinam, quæ adfert ſalutem credentibus in Chriſtum. Proinde uobis, Domini & fratres, unice commendo Libellum Catechiſmi, & oro uos propter Chriſtum, ut ediſcatis ad unguem ea, quæ tradit, & fideliter ac diligenter eadem ante omnia, ueſtrum populum doceatis, atque ut hoc eo facilius perficere poßitis, do uobis omnibus & ſingulis hunc libellum, in quo breuiter, & dilucide Catechiſmum expono, quem ſi boni conſulere uelitis, breui plura, Deo uolente, dabo, interim in Chriſto ualete, Haffniæ 26. Iulij

Anno Domini M. D. XLI.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

BREVIS EX-
POSITIO CATECH-
ISMI PRO PAROCHIS
Noruegianis.

Quid ſignificat Vocabulum
Catechiſmi.

VOcabulum Catechiſmi ſignificat inſtructionem paruulorum, a uerbo Caticheo, quod ſignificat inſtruo, inſtituo, admoneo, exanimo & dictata reposco, inde Catecheta, qui examinat & Catechuminus qui examinatur.

Quid eſt Catechiſmus?

CAtechiſmus eſt doctrina quæ tradit prima elementa & Rudimenta Chriſtianæ religionis, unde uoluntatem Dei recte percipere & cognoſcere poſsimus.

Quot ſunt partes Catechiſmi?

Partes Catechimi ſunt tres ſcilicet.

Decalo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

I Decalogus.
II Symbolum.
III Oratio dominica.

Quibus adduntur duo Sacramenta.

I Baptiſmus.
II Cœna domini.

QVæ ſunt tanquam ſigna, quibus fidem noſtram & remiſsionem peccatorum confirmamus.

Quid eſt decalogus?

DEcalogus eſt comprehenſio decem præceptorum Dei, quæ ſunt ut ſpeculum Chriſtianæ uitæ, in quo ſe Chriſtianus intueri & ſuum defectum ac inbecillitatem conſiderare poſsit.

Quomodo præcepta diuiduntur?

DEcem pręcepta diuiduntur in duas tabulas, in quibus ea Moſes in monte Sina, digito Dei ſcripta accepit, & coram populo promulgauit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Quod ſunt præcepta primæ tabulæ?

Præcepta primæ tabulæ ſunt tria, ſcilicet.
Non habebis Deos alienos coram me.
Non aſſumes nomen Domini Dei tui inuanum.
Memento ut diem Sabbathi ſanctifices.

Quid in ſumma tradunt hæc tria præcepta?

Tria hæc præcepta tradunt in ſumma, quomodo erga Deum corde ore & opere affecti eſſe debeamus.

Quid ſeorſim requirit primum præceptum?

Primum præceptum ad cor noſtrum pertinet, ac requirit hæc tria, ſcilicet.

I	Timorem.	erga Deum.
II	Fidem.	
III	Dilectionem.	

Vt ſcilicet timeamus Deum, ſicut filius patrem, ne a nobis offendatur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Deinde ut omnem fiduciam noſtram in Deum collocemus.

Poſtremo, ut Deum & uerbum Dei ſuper Omnia diligamus.

Quid requirit ſecundum præceptum?

Secundum præceptum ad os noſtrum pertinet ac requirit hæc quatuor, ſcilicet.

I Inuocationem.
II Gratiarum actionem } Nominis dei
III Confeſsionem.
IIII Prædicationem.

VT ſcilicet inuocemus Deum corde & ore in quacunque neceſsitate, iuxta illud in Pſalmo, inuoca me in die tribu.

Deinde, ut gratias agamus Deo, pro omnibus beneficijs acceptis.

Item, ut confiteamur nomen & doctrinam Dei in carcere & morte.

Poſtremo, ut loquamur & prædicemus omne bonum de Deo ſemper & ubique.

Quid

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Quid requirit tertiū præceptum?

TErtium præceptum ad opus noſtrum pertinet, ac requirit obſeruationem ceremoniarum, ut ſcilicet frequenter eamus ad templum, & audiamus uerbum dei, communicemus Sacramenta, & demus aliquid miniſtris uerbi & alijs pauperibus ut habeant unde ſe ſuſtentare poſsint, atquæ hæc eſt prima tabula, in qua cum ſolo Deo agere debemus Et hic eſt cultus Dei.

I Vere timere Deum.
II Vere credere Deo.
III Vere diligere Deum.
I Inuocare Deum.
II Gratias agere Deo.
III Confiteri nomen Dei.
IIII Prædicare uerbum Dei.
I Audire uerbum Dei.
II Cōmunicare Sacramēta Dei.
III Alere miniſtros Dei.

HIc nihil audis niſi Deum ipſum, quem ſic colas corde ore & opere, ut hæc

ut hæc tria pręcepta requirunt & fugies contraria, quæ prohibent, quod cum pręſtare non poſsis, neceſſe eſt ut agnoſcas te peccaſſe contra primam tabulam, & per peccatum meruiſſe æternam mortem & damnationem.

Quot ſunt præcepta ſecundę tabulæ?

PRræcepta ſecundæ tabulæ ſunt ſeptem, ſcilicet.

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longeuus ſuper terram.

Non occides.

Non mechaberis.

Non furaberis.

Non falſum teſtimonium dices contra proximum tuum.

Non concupiſces domum proximi tui.

Nec deſiderabis uxorem eius, nec ſeruum, nec ancillam, nec bouem, nec aſinum, nec quicquam quod illius eſt.

Quid in ſumma tradunt hæc ſeptem præcepta?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Hæc ſeptem præcepta tradunt in ſumma, quales nos eſſe oporteat erga proximum noſtrum, ſunt que ut ciuitas, quæ ſecundum naturam ædificata eſt, ac totam uitam & conuerſationem noſtram cum hominibus complectuntur.

Quid requirit quartum præceptum?

QVartum præceptum requirit debitam obedientiam, erga noſtros ſuperiores, & diligentem curam erga noſtros ſubditos, ut ſcilicet honoremus noſtros maiores, ut ſunt.

Parentes. Præceptores.
Parochi. Magiſtratus.
Tutores. Patresfamilias.
Matresfamilias.

IN ſumma, ut demus tributum, cui tributum, honorem, cui honorem, & timorem, cui timorē debemus, Rom. 13.

Deinde ut regamus, doceamus & defendamus, omnes noſtros inferiores, ut ſunt.

Filij.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Filij. Diſcipuli.
Populus. Subditi.
Pupilli. Serui.
Ancillæ.

ET quotquot noſtræ fidei commiſsi ſunt, erga quos ſemper ſummam curam & diligentiam adhibere debemus, ut bene ſit nobis etiam hic in terra.

Quid requirit quintum præceptum?

Quintum præceptum ad perſonam proximi pertinet, ac requirit a nobis multas uirtutes, ſcilicet.

I Beneficentiam.
II Patientiam.
III Fortitudinem.
IIII Clementiam.
V Dilectionem.
VI Iuſtitiam.
VII Manſuetudinem.

Et ſimiles quamplures, quibus proximi perſonam, corpus & uitam iuuare, tueri & defendere poſsimus.

Quid

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Quid requirit ſextum præ-
ceptum?

Sextum pręceptum ad uxorem proximi pertinet, ac requirit præcipue has duas uirtutes, ſcilicet.

I Caſtitatem.

II Pudicitiam.

Vt ſcilicet aut contineamus & corpore ac ſpiritu uitam cœlibem ducamus, aut propter fornicationem unuſquisque uxorem ſuam habeat, nutriat, diligat in domino.

Quid requirit ſeptimum
præceptum?

Septimum pręceptum ad bona proximi pertinet ac requirit.

I Liberalitatem.

II Largitionem eleemoſynarum

III Proprietatem rerum.

IIII Sobriam uitam.

V Iuſtitiam in contractibus.

VI Aequalitatem.

Et ſimiles uirtutes, quibus res & bona proximi

proximi agere, tueri ac defendere debea-
mus.

Quid requirit octauum præceptum?

Octauum prȩceptũ ad bonam famam & honorẽ proximi pertinet, ac requirit.

I Veritatem.
II Iuſtum iudicium.
III Verum teſtimonium.
IIII Honeſtam linguam.

Et omnia, quibus proximi noſtri famam, gloriam, dignitatem & honorem contra mendacium & obtrectationem tueri ac defendere poſsimus.

Quid requirunt nouum & decimum Præcepta?

Hæc duo præcepta repetunt ſuperiora cum maiori declaratione ac requirunt in omnibus præceptis non tantum oris & operis, ſed etiam ipſius cordis munditiam & purgationem a concupiſcentia carnis, adeoque perfectam legis obedientiam & impletionem, quam quia nemo ſe habere gloriari poteſt,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

agnoſcenda ſunt peccata, & confugiendum eſt ad fidem in Chriſtum, per quam ſolam, omnes coram Deo iuſtificemur.

Atque hæc eſt Secunda tabula, in qua cum proximo noſtro agamus fideliter ex mandato Dei, iuxta caritatem.

Chriſtus in Euangelio comprehendit hæc decem præcepta in duobus tantum, cum ſic dicit, diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.

Hic habes tria pręcepta primę tabulę. Et diliges proximum tuũ ſicut teipſum, hic habes ſeptẽ præcepta ſecũdę tabulæ.

Propterea etiam addit Chriſtus. In his duobus mandatis tota lex pendet et Prophetę, hoc eſt, decem pręcepta, quę Prophetę interpretantur, ſunt ipſa lex Dei.

Appendix Decalogi.

AD decalogi perfectam cognitionem requiritur cognitio ipſius legis, item quid ſit pœnitentia, peccatum, iuſtitia, quod partes pœnitentię &c.

Quid eſt lex?

LEx eſt doctrina requirens, quid faciendum ſit, & quales nos eſſe opor-

teat,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

teat, in ſumma, Lex ſunt decem manda ta Dei.

Vocatur autẽ Lex diuina quia à Deo data eſt.

Deinde Lex naturę, quia in naturam noſtram inſcripta eſt, iuxta illud.

Quæcunq; uultis ut faciant uobis homines &c.

Item lex Moſi, quia Moſes eam promulgauit coram populo Dei.

Poſtremo lex Decalogi, quia decem mandata comprehendit.

Quod eſt diſcrimen Legis & Euangelij?

Hæc particula Gratis in definitione Euangelij facit diſcrimen inter legem & Euangelium.

Lex enim promittit remiſsionem peccatorum, ſed cum conditione implendæ legis.i. perfectæ obedientiæ, ut ſi ſerues legem, ſaluus eris.

Euangelium uero promittit remiſsionem peccatorum ſine conditione. Hoc eſt, quanquam Deus requirit a nobis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

obdientiam legis, tamen quia non poſſumus facere legem, offert nobis gratis remiſsionẽ peccatorum propter Chriſtũ.

Quare hæc traduntur?

Hæc ideo traduntur ut habeat conſcientia aliquam certitudinem & firmam conſolationem. Nam magnum eſt, quod quando ſumus reconciliati, perinde facimus legem imputatiue, ac ſi eſſemus mundi & iuſti.

Et quanquam nemo noſtrum ſatisfacit ne primo quidem præcepto, nedum toti legi, atque per hoc eſſemus damnati, tamen quia in Chriſto omnes ſumus conſummati, hoc eſt, utcunque facimus legem per Chriſtum, id quicquid eſt Deo placet, quia noſtra perſona illi per Chriſtum reconciliata eſt.

Vbi eſt Lex in ſacra ſcriptura, & ubi eſt Euangelium?

LEx eſt in omni loco tam noui quam ueteris Teſtamenti, in quo Deus aliquid poſtulat a nobis, ut faciamus, exemplum, Frange eſurienti panem tuum. Ac

cede

cede ad formicam. Facite uobis amicos ex Mammona &c.

Item omnis locus de peccato, de pœnis & comminationibus, de uocationibus & officijs ſingulorũ, de operibus etc. ad legem tantum pertinet, nõ ad Euangelium. Vt hic locus. De quocunq; uerbo ocioſo, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Lex eſt, nõ Euangelium. Quia comminatio eſt, & nũciat mihi aliquid triſte, unde dolere, non gaudere poſſum. Nam omnis locus, omnis hyſtoria, omne miraculum. &c. in ſcriptura ſacra, quod contriſtat meum animum, lex eſt, nõ Euangelium.

Quia, natura mea corrupta originali peccato, nihil quod ad legem ſpectat, ferre poteſt. Nam dolet naturæ, quod legis obedientiam præſtare nequeat.

Euangelium uero eſt in omni loco ſcripturæ, tam ueteris quam Noui Teſtamenti, in quo Deus aliquid nobis promittit & dat, ut Gene. 3. Ipſum ſemen cõteret caput tuum. Item alibi, In Semine tuo benedicentur omnes gentes. Item,

Venite ad me omnes qui laboratis &c.
Item, Pacem meam do uobis &c.

Omnes tales loci, hiſtoriæ, exempla, miracula de promiſsionibus Dei, de miſericordia Dei, de fide, de gratia & gratuita imputatione iuſtitiæ, de remiſsione peccatorum & uita æterna, de Sacramentis &c. Euangelium ſunt nō lex, quia non contriſtant, ut loci legis, ſed conſolantur conſcientias, & annunciant gaudium magnum gratis propter Ieſum Chriſtū.

Quicunq; hæc bene animaduertit in ſcriptura ſacra, iam multum promouit in cognitione uerbi Dei. Nam ſpiritus ſanctus per ſolum hoc diſcrimē legis & Euangelij, aperit nobis uerum ſenſum & intellectum ſcripturæ ſacræ.

Ideo multo fœlicius & cū maiori fructu docet populum Chriſtianum is, qui hoc diſcrimen nouit ex Catechiſmo, quā, qui ſine hoc diſcrimine, tota etiam biblia quaſi in digitis ſuis cognita habet.

Nam quemadmodum cœcus de colore, ita etiam de omnibus ſcripturæ locis iudicat ille, qui non nouit diſcrimen legis & Euangelij.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Proinde pij & fideles Parochi, qui ſciunt ſe ad curam animarum a Deo uocatos eſſe, debent hic omnes neruos extendere, & dare ſummam operam, ut legem ab Euangelio probe diſcernere queant, alioqui omnia confundunt, quemadmodum mali coci iura, nec ędificant, ſed deſtruunt Eccleſias Chriſti, daturi pœnas Deo, ſicut Paulus inquit, Væ mihi ſi non Euangelizauero. Item, maledictus qui facit opus domini fraudulenter, & alibi. Ego ſanguinem illorum de manu tua requiram. Quare præſtat non habere curam animarum, quam & animas multorum & ſeipſum perdere in gehennam.

Quid ſignificat uocabulum Pœnitentiæ?

VOcabulum pœnitentiæ ſignificat improbare aliquid, quod prius probaueris, ut qui furatus eſt, amplius non furetur.

Chriſtus pulcherrimam pœnitentiæ laudem prædicat, cum inquit Luc. 15.

Gaudium eſt angelis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Item, Nolo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

mortem peccatoris, ſed magis ut conuertatur & uiuat.

Quid eſt pœnitentia?

POenitentia eſt contritio et fides, contritio ex auditu legis, Fides uero ex auditu Euangelij.

Quid ſignificat uocabulum Contritionis?

COntritio a conterendo nomen habet, Eſt enim phraſis hebræa. Nam hebræi cum habeant ſuum quendam modum loquendi, utuntur uerbo conterendi pro affligere & perterrefacere, ut ſit contritio afflictio quædam & perterrefactio conſcientiæ.

Quid eſt contritio?

COntritio eſt perterrefactio mentis ex agnitione peccati.

Homo enim peccator cum audit prædicari legem, agnoſcit ſua peccata, & conteritur ac perterrefit in ſua conſcientia &

tia & fugit Deum, tanquam ſeuerum iudicem, quemadmodum Adam in Paradiſo, conſpectum Dei, donec a Deo per Euangelium reuocatus fuit.

Hoc eſt, quod Paulus inquit, Lex eſt agnitio peccati, .i. docet homines agnoſcere ſua peccata. Item lex eſt pœdagogus ad Chriſtum, quia ideo arguit, accuſat perterrefacit hominem, ut per fidem ad Chriſtum confugiat.

Quid eſt Fides?

FIdes altera pars pœnitentiæ eſt firma fidutia, qua credimus nobis ignoſci peccata propter Chriſtum, Vide plura de fide infra in ſymbolo, Habet igitur pœnitentiam, quæ complectitur & agnitionem peccati & fidutiam in Chriſtum.

Eſt ne confeſſio neceſſaria ad pœnitentiam?

COnfeſſio, in qua requiritur enumeratio peccatorum, non ualet, Eſt enim potius carnificina quædam conſcientiarum, quam confeſſio. Nam enume

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

ratio peccatorum eſt impoſſibilis, quemadmodum & Dauid teſtatur: Delicta quis intelligit? Item Ab occultis meis munda me, & rurſum Pſalmo 90.

Quoniam ponis incognita peccata noſtra in lucem ſub conſpectum tuum, Hæ & ſimiles ſententiæ, ut taceam interim de experientia, oſtendunt enumerationem peccatorum eſſe impoſſibilem. Sed tamen abſque enumeratione omnium peccatorum retinenda eſt confeſſio propter abſolutionem, quia Deus ita remittit peccatum, quando Eccleſia remittit, quæ cum ex miniſterio uerbi, non ex iudicio ciuili pendeat, non neceſſe habet audire omnium peccatorum enumerationem, ſicut iudex cauſſam etc.

Eſt ne ſatisfactio neceſſaria ad Pœnitentiam?

SAtisfactio fuit primum inſtituta, ut eſſet quædam diſciplina publica pro publicis facinoribus, Sed poſtea diſceſſit a ſuo uigore & uero uſu. Nam fecerunt

runt inde opus neceſſarium ad ſalutem ac meritorium remiſſionis peccatorum, adeo ut præſtaret hoc uocabulum Satiſfactionis, nunquam ueniſſe in Eccleſiam. Quare cum obſcuret gloriam Chriſti, qui ſolus ſatisfecit pro peccatis totius mundi, non eſt retinenda pro parte pœnitentiæ.

Vocabulum peccati quid ſignificat?

QVanquam peccati uocabulum eſt nomen uerbale, & ſignificat actionem, tamen oportet nos conſiderare Hebræam phraſin ſiue proprietatem loquendi, ex qua ſcire liceat, peccatum etiam paſſiue ſignificare morbum & uitium naturale, atque corruptionem, quæ nobiſcum naſcitur, qua fit, ut non poſſimus obedire legi Dei, ſicut potuiſſemus ſi natura humana manſiſſet integra, Ecce, inquit Dauid, ex ſemine immundo formatus ſum, & in peccato concepit me mater mea. i. ego a natura & inde uſque ab utero matris ſum peccator. i. immundus & reus iræ Dei, & æternæ damnationis.

Quid

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Quid eſt peccatum?

PEccatum generaliter loquendo, eſt uitium perpetuum & factum pugnans cum lege Dei, & cum conſcientia.

Quotuplex eſt peccatum?

PEccatum eſt duplex, ſcilicet, Originale & actuale, hoc enim ex illo, ſicut ex arbore fructus naſcitur.

Quid eſt peccatum Originis?

PEccatum originis ſeu Originale eſt uitium nobis congenitum & concupiſcentia, ſeu ipſa naturę hominis corruptio, qua fit, ne poſſimus uere obedire legi Dei & ſine peccato eſſe.

Poſtquam enim Adam lapſus eſt, amiſit integritatem naturalem, cum ſentiret iram & iudicium Dei, ac ſubijceretur regno peccati et mortis, ac ſpoliatus prioribus ornamentis procreauit deinde tales, qualis iam erat ipſius natura, Ita poſtea propagatione contrahunt uicium Originis, hoc eſt, rei ſunt & habent uicioſam naturam.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Quid eſt peccatum Actuale?

PEccatum actuale eſt omnis cogitatus, omne dictum ac factum contra legem Dei, & contra conſcientiam.

Quando enim homo cogitat, dicit, aut facit aliquid, quod eſt contra decem mandata Dei, tunc committit auctuale peccatum, ut fructum uicioſæ naturæ.

Item quando perſona non eſt reconciliata Deo, tunc quicquid cogitat, dicit & facit, eſt peccatum, Sicut Paulus ait, Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, unde fit, quod omnia impiorum opera ſunt peccata.

Præterea & hoc obſeruandum eſt, quod, quicquid fit a iuſtificatis, quod non eſt contra decem mandata Dei, non eſt peccatum, ut ueſci carnibns ſexta feria, non eſt peccatum, quia non eſt contra aliquod mandatum Dei, Idem iudicandum eſt de alijs traditionibus humanis, in quibus fecerunt peccatum, ubi nullum eſt peccatum.

Quotuplex eſt peccatum actuale?

Peccatum

Peccatum actuale eſt duplex, ſcilicet.

I Mortale.

II Veniale.

QVanquam enim omnia peccata, ut morbus naturæ, ſeu concupiſcentia, item affectus & actiones carnis, ſunt peccata mortalia. i. æterna morte digna, tamen in ſanctis fiunt uenialia. i. condonantur his, qui fide apprehendunt remiſsionem peccatorum, iuxta illud. Nulla nunc damnatio his, qui in Chriſto Ieſu ambulant.

Quare hæc de peccato traduntur?

HAec ideo traduntur, ut homines ex prædicatione Legis diſcant agnoſcere ſua peccata, quia per legem agnitio peccati Roma. 3. Et deinde orare Deum, pro remiſſione peccatorum, propter Chriſtum. Hoc enim eſt quod Paulus inquit, Lex eſt Pedagogus ad Chriſtũ, hoc eſt, Lex docet homines agnitionem peccatorum, ut tandem confugiant ad

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Deum, per fidem in Chriſtum, & orent pro remiſſione peccatorum.

Quid eſt Remiſſio peccatorum?

Remiſſio peccatorum eſt gratuita condonatio, qua Deus peccata noſtra nobis imputare non uelit, ut in Pſalmo. Beatus uir, cui non imputat Dominus peccatum.

Quotuplex eſt remiſſio peccatorum?

Remiſſio peccatorum eſt duplex, ſcilicet.

I Culpæ.

II Pœnæ temporalis.

Quid eſt remiſſio culpæ?

Remiſſio culpæ, eſt remiſſio ipſius reatus ac æternæ mortis & damnationis, Nam remiſſio culpæ complectitur mortem æternam. Porro quanquam nullum peccatum tam leue eſt, quin coram Deo dignum ſit æterna morte,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

tamen ſolet aliquando Deus ex ſua miſe ricordia pœnam æternam transferre in pœnam temporalem, Quemadmodum & Dauidis peccatum eſt translatum, ne moreretur 2. Reg. 12.

Quid eſt remiſsio pœnæ temporalis.

DEus punit noſtra peccata etiam pœnis temporalibus in hoc mundo, & pro illis pœnis deprecandis, ualēt noſtra opera, non tamen certa quædam opera, ſed tota conuerſio ac mutatio uitæ, morum &c. Deus enim mitigat iſta mala temporalia, propter noſtra opera, non quia opera per ſe ualent, ſed quia perſona placet Deo. Nam impiorum uictimæ (ut Salomon inquit) non placent Deo. Sic Deus pepercit Niniuitis ieiunantibus, & non eſt deleta ciuitas. Hoc uult Dauid cum inquit, libera me de ſanguinibus, hoc eſt, a crimine & pœna temporali, Tum docebo iniquos uias tuas &c.

Quid

Quid debet homo conuerſus ad fidem facere?

HOmo per pœnitentiam conuerſus ad fidem, debet primum & ante omnia, non perſeuerare in his, quæ iudicat eſſe contra uoluntatem Dei. Deinde debet ſeruire proximo ſuo, in ſua uocatione, ut etiam apud homines habeat iuſtitiam bonæ conſcientiæ.

Quid eſt iuſtitia bonæ conſcientiæ?

IVſtitia ſeu gloria bonæ conſcientiæ eſt qualiſcunque obedientia, erga totam legem, quę ſequitur fidem, tanquam fructus arborem. Semper enim debet illa iuſtitia comitari perſonam iam reconciliatam Deo, Nam impoſſibile eſt hominem habere fidem, ſine bonis operibus, quæ hic uocantur iuſtitia ſeu gloria bonæ conſcientiæ, Effectus enim fidei ſunt bona opera, & placent, Deo propter fidē. Quare Iacobus recte affirmat hominem habere utranque iuſtitiam ſeu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

iuſtificationem, ſcilicet fidei, coram Deo, & bonorum operum, coram hominibus. Fides enim iuſtificat hominem coram Deo, & bona opera iuſtificant hominem coram hominibus, & placent Deo propter fidem poſtquam perſona eſt reconciliata.

Secunda pars Catechiſmi

CVm ex decem præceptis clare pateat, nos omnes eſſe peccatores, nunc ſequitur ſecunda pars Catechiſmi, uidelicet Symbolum fidei, quæ quidem fides nos rurſum erigit, ut imploremus miſericordiam Dei propter Chriſtum.

Quid ſignificat uocabulum Symboli?

ETſi uocabulum Symboli ſignificat collationem ſeu comportationem, hoc eſt, id quod plures in unum conferunt, tamen Latini etiam interpretantur Symbolum eſſe ſignum ſeu notam, qua res una ab alijs rebus diſcernatur, Quare etiam & hoc breuiarium fidei, Credo in Deum

Deum patrem &c. dictum eſt Symbolum, ſiue nota, qua Chriſtiani, a reliquis hominibus diſcernantur.

Quid ſignificat uocabulum fidei?

VOcabulum fidei primum ſignificat pactum ſeu fœdus amicis ſeruatum, ut Eccleſiaſtici 22. Fidem poſſide cum amico. & Capit. 27. Qui denudat arcana amici, infidelis eſt. Hanc fidem etiam ethnici ſcriptores paſſim extinctam deplorant, ut Rara fides in terris. Item, Nuſquam tuta fides. Item, Fratrum quoque gratia rara eſt.

Secundo ſignificat notitiam hyſtoriæ alicuius, qua credimus rem geſtam, quã ignotam aut legimus aut audimus, ut credere Chriſtum paſſum, mortuum, reſuſcitatum &c. atque hæc uocatur Fides hyſtorica, quam etiam dęmones habent, & per eam contremiſcunt.

Tertio ſignificat credere Deũ eſſe, curare res humanas, & omnia, quæcunque

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

uult, poſſe facere &c. quam fidem Turcæ & infideles etiam habent.

Quarto uera & Chriſtiana fides, quæ ſola iuſtificat homines coram Deo, ſignificat fidutiam promiſſionum Dei.

Quid eſt fides Chriſtiana?

FIdes Chriſtiana eſt fidutia Euangelij, & promiſſionum Dei, quæ ſunt in ueteri & nouo Teſtamento, qua fidutia, credimus nos habere propitium Deum & patrem, remiſſionem peccatorum, imputationem iuſtitiæ uitam æternam, gratis, propter ſolum Chriſtum, ſine noſtris meritis & operibus.

Hæc ſola iuſtificat nos coram Deo, i. ex peccatoribus iuſtos facit, quia ſola apprehendit miſericordiam Dei. Et ſicut ſola regina ſuum maritum regem amplectitur, & fit particeps regni, dignitatis & diuitiarum regis, ita ſola fides Chriſtiana ſuum ſponſum Ieſum Chriſtum amplectitur & exoſculatur, ac fit particeps omnium beneficiorum eius, iuxta illud Pauli Rom. 8. Si dedit nobis filium quo

modo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

modo non etiam cum illo omnia nobis donauit?

Quot ſunt partes Symboli?

Tres ſunt partes Symboli principales, ſcilicet, tres articuli noſtrę fidei.

I Creationis.
II Redemptionis.
III Sanctificationis.

Dic primum Articulum.

Credo in Deum patrem &c.

Quid continet hic primus articulus?

PRimus articulus continet beneficium creationis & conſeruationis omnium iterũ, quod beneficiũ ſoli Deo patri tribuitur, cuius Articuli hæc eſt ſententia. Credo in Deum patrem &c.i. Etſi ego peccator ſum & præceptis Dei ſatisfacere non poſſum, credo tamen ex corde Deum mihi patrem eſſe, ad quem cõfugio, quem inuoco, in quo fidutiam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

meam colloco. cui poſt acceptũm beneficium gratias ago, cuius nomen coram omnibus confiteor, commendo & prædico. Deinde credo eum eſſe omnipotentem, id eſt, credo omnia illi poſſibilia, quia potens eſt, & ſanctum nomen eius. Nam cœlum, terram & omnia ſuo uerbo creauit, atque hodie eadem ſua benignitate conſeruat, Quare merito, Hic titulus, quod ſit Deus pater, Item omnipotens & creator, huic primæ perſonæ in diuinitate ſeorſum adſcribetur.

Dic Secundum articulum?

Et in Ieſum Chriſtũ filium eius unicum, dominum noſtrum &c.

Quid continet in ſe hic ſecundus articulus?

Secundus articulus continet beneficium redemptionis, quod ſoli Chriſto tribuitur. Quemadmodum enim Deus pater, cum nihil eramus, nos ſine noſtris meritis creauit. Sic & Deus filius id eſt

Ieſus

Ieſus Chriſtus, cum mortui eſſemus, & filij iræ, nos a peccato & morte, ſine noſtris meritis redemit. Ideo ut ipſi Deo patri creationis & conſeruationis, ita etiam Chriſto redemptionis gloria tribuenda eſt. Quare & hic articulus, Credo in Ieſum Chriſtum, recte docet ſpem & fiduciam collocandam eſſe in Chriſtum, ſicut in Deum patrem. Hæc enim, inquit Chriſtus, eſt uita æterna, ut cognoſcant te ſolum uerum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

Quomodo diuidatur hic ſecundus articulus?

Hic articulus diuiditur in quatuor titulos, & nouem beneficia redemptionis.

Qui ſunt illi Tituli?

Tituli redemptionis noſtræ ſunt hi quatuor ſcilicet.

I Ieſus.
II Chriſtus.

III Filius Dei unicus.
IIII Dominus noſter.

Quid ſignificat Ieſus?

Ieſus interpretatur ſaluatur Matthe. 1. Et uocabis nomen eius Ieſum. Is enim ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum. Et Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam uos. Credo igitur in Ieſum. i. omnem fidutiam in illum colloco, illi confido, & certus ſum, me per illum ſaluatum, & a peccato ac morte liberatum eſſe, ut Satan in me nihil iuris habeat. Item credo Deum Patrem mihi per illum propitium eſſe, & quod ſim conſecutus remiſſionem peccatorum, imputationem iuſtitiæ & uitam æternam.

Quid ſignificat Chriſtus?

Chriſtus interpretatur unctus. Solebant enim Reges & Sacerdotes unctione conſecrari. Significat ergo Chriſtus regem & ſacerdotem, ut Pſalmus, Dixit Dominus, exponit. Credo igitur in Chri

ſtum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

ſtum.1. credo illum eſſe meum regem & ſacerdotem ſeu ſummum Pontificem, Regem inquam, qui poteſt & uult me iuuare & defendere contra omnem hoſtium meorum impetum & inſultum. Pontificem uero, qui ſua hoſtia, & ſuo ſacrificio me ſuo Patri reconciliauit, ad hæc quotidie nobis Deum patrem, alioqui propter peccata noſtra quotidiana iratum, placat, intercedit & orat pro nobis, facitque, ut Deus nobis noſtra peccata non imputare uelit.

Quid ſignificetur per filium eius unicum?

Hic titulus ſignificat Chriſtum eſſe in pari potentia cum Patre, ſicut ipſe teſtatur, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Id quod etiam Patris teſtimonium, de eo clare iudicat. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum eſt. Nam quemadmodum pater ſuo filio nihil denegare ſolet, quod ad eius commodum & honorem pertinet, ita nec Chriſto a Deo patre quicquã

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

denegatum eſt unquam. Omnia enim ſua paſſione & morte meruit. Porro cum nos omnes in Chriſto adoptiui tantum filij ſumus, ipſe Chriſtus eſt unigenitus Dei filius, qui nos a peccato, morte & inferno liberauit, ac liberos reddidit, ſicut ipſemet inquit, Ioannis 8. Si filius uos liberauerit uere liberi eſtis. Credo igitur in filium eius unicum, id eſt, credo Chriſtum Dei filium, non ſolum corporaliter, ſed etiam ſpiritualiter in omni neceſſitate nos iuuare poſſe, & nihil a patre, cuius eſt unicus filius, petere pro nobis, quin exaudiatur, quin impetret, & uoti compos fiat.

Quid per Dominum noſtrum ſignificetur?

HIc quartus titulus Chriſto rurſum potentiam adſcribit, qua nos e regno & tyrannide diaboli redemit, & tranſtulit in ſuam Eccleſiam, ubi nos quotidie tuetur & defendit, Credo igitur in Chriſtum Dominum noſtrum i. qui noſter, noſter inquam eſt cũ omnibus ſuis donis & beneficijs, ſicut nos ipſius ſumus,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

mus, qui nobis bene uult, noſter prote-
ctor & defenſor eſt, ut neminem agnoſ-
camus dominum pręter illum, in cuius
nomine, omne genu flectatur cœleſtium
terreſtrium & infernorum. Nam tanta
eſt potentia Chriſti, non tantum ſuper
peccatum, mortem, Satanam & inferos,
ſed etiam ſuper hunc mundum, ut om-
nium huius mundi principum poteſtas
in unius Chriſti manu & poteſtate ſita
ſit. Quare cum tam potentem habeamus
Dominum, qui nos & uult & poteſt li-
berare, debemus nos ſemper, in omni
afflictione noſtra, hoc Chriſti imperio
conſolari.

Atque hi ſunt quatuor tituli Chriſti,
quos perpetuo præ oculis habere debe-
mus, quod ſcilicet ſit Ieſus, id eſt, noſter
ſaluator Chriſtus, i. noſter rex & ponti-
fex. Vnicus Dei filius, id eſt, noſter
frater, & perpetuus apud Deum interceſ
ſor. Et Dominus noſter, id eſt, in om-
nibus neceſſitatibus, noſter protector &
defenſor tum haud dubie maximam in
Chriſto, conſolationem, pro noſtris con
ſcientijs, accipiemus.

Quæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Quæ ſunt illa nouem beneficia Redemptionis?

Nouem noſtræ Redemptionis beneficia hæc ſunt, ſcilicet.

I Conceptio.
II Natiuitas.
III Paſſio.
IIII Mors
V Deſcenſus ad inferos
VI Reſurrectio.
VII Aſcenſio in cœlum
VIII Seſſio ad dexteram patris.
IX Aduentus ad iudicium.

{ Domini noſtri Ieſu Chriſti.

HAec nouem beneficia ſatis clare oſtendunt, quibus medijs, Chriſtus Ieſus, Dei filius, noſter Dominus nos redemerit a peccato & morte, quantique illi hæc redemptio conſtiterit Præterea quatuor beneficia priora ueram Chriſti humanitatem, poſteriora uero quinquæ ueram ipſius diuinitatem nobis declarant. Idem Paulus docet Philip.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

2. Chriſtus, inquit, cum eſſet in formã Dei, non rapinam arbitratus eſt, ut eſſet æqualis Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens &c. Sic in Pſal. 8. Derelictum pauliſper a Deo ſines illum, at gloria & decore coronabis eum, Et Pſal. 110. De torrente in uia bibet, propterea exaltabit Caput.

Dic primum beneficium.

Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto.

SIc enim legimus Matth. 1. Quod in ea conceptum eſt, de ſpiritu ſancto eſt. Et Lucæ. 1. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & uirtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ita etiam pulcherrime in Eccleſia canitur. Non ex uirili ſemine, ſed myſtico ſpiramine, ueibum Dei factum eſt caro, fructuſque uentris floruit.

Dic ſecundum beneficium,

Natus ex Maria uirgine.

SIc enim inquit Eſaias Capi. 7. Ecce uirgo concipiet, & pariet filium, &

uoca-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

uocabitur nomen eius ImanuEl, id eſt,
nobiſcum Deus, unbe clare patet, Chri-
ſtum nobis conceptum eſſe ex Spiritu
ſancto, & nobis natum ex Maria uirgi-
ne, ut pro nobis peccati & mortis Domi
nus conſtitueretur.

Dic tertium beneficium.

Paſſus ſub pontio Pilato.

Hoc eſt, non tantum a Iudæis, ſed eti-
am a gẽtibus, ex quibus nos ſumus Chri
ſtiani, paſſus eſt Chriſtus, cuius rei nos
admonet uocabulum Pilati, qui fuit uir
Ethnicus & gentilis. Chriſti autem paſſi-
onem omnes Euangeliſtæ pariter deſcri
bunt, ſcilicet quomodo ſit in horto, poſt
quam ſudauit ſanguinem, comprehen-
ſus, ligatus, captiuus, ad Annam, Cai-
pham, Herodem & Pilatum ductus. Ad
mortem primum a Phariſęis, deinde a Pi
lato condemnatus, Interim deriſus, per-
cuſſus, conſputus, coronatus, flagellatus
& tandem crucifixus. Atque hæc omnia
paſſus eſt pro nobis, ut ſcilicet pro no-
ſtris peccatis perſolueret ac ſatisfaceret,
non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

non corruptibilibus, auro aut argento, ſed precioſo ſanguine ſuo. 1 .Pet. 1 .Quare noſtrum eſt abijcere omnem ſeruilem timorem peccati & mortis, ac certa fiducia conijcere nos in paſsionem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Dic quartum beneficium?

Crucifixus, mortuus & ſepultus.

HOc eſt, poſtquam cruci eſt affixus, in qua ſeipſum pro nobis ſacrificauit. Item multis conuitijs & blaſphæmijs a uulgo, magiſtratibus, phariſæis, ſcribis, ſenatoribus, militibus, & latronibus inſectatus, inſuper etiam felle & aceto potatus, tandem ignominioſiſſima morte, inter duos flagitioſiſſimos latrones, patri ſpiritum commendans, emedio ſublatus eſt, & miſerrime hanc uitam corporalem finiuit. Qua horrenda morte, & noſtrorum peccatorum magnitudo & immenſa ipſius charitas erga nos declaratur, ex eo, quod factus eſt ſuo patri obediẽs uſque ad mortẽ, & uſque ad mortẽ crucis, ut nos ad uitam reuocaret. De hac morte

testatur,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

teſtatur, Eſai. Capit. 53. Tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt. Et Paulus Rom. 5. Commendauit Charitatem ſuam erga nos Deus, quod cum adhuc eſſemus peccatores Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Item Ioannis 3. Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum filium ſuum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam.

Dic quintum beneficium.

Deſcendit ad inferos.

HAec uerba nō ſignificant Chriſtum diabolo, morti & damnationi ſubiectum, ut erat in cruce, quando dixit, Omnia conſummata ſunt, ſed quod reuera deſcenderit ad inferos, ſiue in corpore, ſiue in ſpiritu tantum, id neſcimus, & quod illic Captiuam duxerit Captiuitatem, & expoliauerit principatus & poteſtates, triumphans ſuper illos, per ſemetipſum, reluctantibus portis inferorum, & pugnantibus contra ipſum, ut in morte permaneret. Sed impoſſibile fuit

tum in

tum in morte detineri, qui poſuit Do-
minum in conſpectum ſuum, ut eſſet a
dextris eius, ne moueretur, Vide Pſa. 16.
Acto. 2. & 13. Item Coloſſ. 2.

Dic ſextum beneficium?

Tertia die reſurrexit a
mortuis.

HOc eſt, deuicta morte, de portis in-
ferorum triumphauit. Roma. 6.
Chriſtus excitatus a mortuis non amplius moritur, mors illi ultra non dominabitur, Et Capit. 1. Qui declaratus fuit filius Dei cum potentia &c. ex eo, quod reſurrexit a mortuis Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Paulus de hac uictoria 1. Corin. 15. allegans Prophetam Oſeam, ita inquit, Abſorpta eſt mors in uictoria, ubi mors tuus aculeus? ubi tua inferne uictoria? Gratia Deo, qui dedit nobis uictoriā per Ieſum Chriſtum Dominū noſtrū. Et ad Colo. 2. teſtatur Chriſti reſurrectionem noſtræ reſurrectionis initium eſſe, cum ita inquit, Et uos cum eſſetis mortui per delicta, ſimul cum illo uiuificauit, condonans uobis omnia delicta,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

delens quod aduerſus nos erat chirogra-
phum decretis conſtans, quod erat con-
trarium nobis, & ſuſtulit illud e medio,
affigens cruci, & expolians principatus
& poteſtates, oſtentauit palam, trium-
phans illos per ſemetipſum. Ideo etiam
hunc titulum ſortitus eſt, quod primo-
genitus ex mortuis uocetur, Quanquam
enim multi alij ante Chriſtum ſurrexe-
runt, tamen eorum reſurrectio facta eſt
ſolum ad hanc uitam, ita ut mori rurſus
cogerentur, Chriſtus uero ad uitam æter
nam reſurrexit, nunquam ultra moritu-
rus. Credimus igitur Chriſtum paſſum
eſſe pro peccatis noſtris, & reſurrexiſſe
propter iuſtificationem noſtri. Rom. 4.

Dic ſeptimum beneficium.

Aſcendit ad cœlos.

HOc eſt, deuicta morte & inferis, Dominium ſibi & gubernacula rerum ſumpſit, eſtque pari potentia cum patre, ita ut Satan & omnis poteſtas in cœlo & in terra ei ſubſint. Et Paulus Eph. 4. ex Pſalmo. 68. in hunc modũ allegat.

Aſcendens

Aſcendens in altum̃, captiuam duxit captiuitatem & dedit dona hominibus, ſcilicet, Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores, per quos uult adminiſtrare ſuum regnũ hic in terra, uſque ad extremum diem iudicij. Credimus igitur Chriſtum nobis aſcendiſſe in cœlum, uiamque parauiſſe, quemadmodum ipſe ait, Vado paraturus uobis locum, & iterum ueniam & aſſumam uos ad meipſum, ut ubi ſum ego & uos ſitis Ioannis. 14.

Dic octauum beneficium?

Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.

HOc eſt, Credo quod Chriſtus regnat ubique pari potentia cum patre, & gubernat ubique omnia, agitque ſummũ pontificem noſtrũ Rom. 8. Chriſtus eſt, qui mortuus eſt, imo qui & Reſurrexit, qui eſt ad dexteram patris & intercedit pro nobis. Et .i. ad Timoth. 2. Vnus eſt mediator. Dei & hominum, homo Chri

ſtus Ieſus. Itē, 1. Ioan. 2. Si quis peccaue rit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, id eſt, noſtrum iuſtificatorem. Hæ & ſimiles ſententiæ clare indicant Chriſtum nobis omnia bona, remiſſionem peccatorum, liberationem a morte, & uitam æternam a Deo patre impetrare qui diues eſt in miſericordia propter magnam charitatem ſuam qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos cum Chriſto & una ſedere fecit in cœleſtibus per Chriſtum Ieſum. Eph. 2. Nam Deus pater ſuſcitauit eum a mortuis & conſtituit ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſuper omnem principatum & poteſtatem, & uirtutem & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubiecit ſubter pedes eius. Et ipſum dedit caput ſuper omnem eccleſiam, quę eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet. Eph. 1. Credimus igitur Chriſtum nobis ad dexteram Patris ſedere, adeoque caput noſtrū

eſſe,

eſſe, cui adhæreamus, & ex quo ſolo pendeamus omnes in unitate fidei & agnitione beneficiorum eius.

Dic nonum beneficium?

Inde uenturus eſt iudicare uiuos & mortuos.

HOc eſt, Credo illum ſedere ad dexteram patris, donec ad iudicium ueniat, & nos una cum corpore & anima, recipiat in æterna tabernacula, impios uero perdat in gehennam. Nam quicunque hoc tempore ſalutis Chriſtum ſaluatorem nolit, is experietur Chriſtum in extremo die ſeuerum iudicem ac damnatorem, ut in Pſal. 110. Dixit Dominus domino meo, ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. Porro Mattheus deſcribit huius iudicij formam, Cap. 25. Cum uenerit, inquit, filius hominis in maieſtate ſua & omnes angeli cum eo, & cætera uſque ad finem capitis. Et Lucas Act. 1. Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum,

lum. Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt a uobis in cœlum, ſic ueniet quemadmodum uidiſtis eum euntem in cœlum, Hoc eſt, reddetur nobis illa uiſibilis conſuetudo Chriſti, & cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus eum ſicuti eſt 1. Ioannis 3. Hæc profectō magnam afflictis conſcientijs adferunt conſolationem. Videbunt enim filium hominis uenientem in nube, cum poteſtate & gloria magna, & ſuſpicient, attollentque capita ſua pij omnes, quoniam tunc appropinquat redemptio eorum, cum interim magna ſit anxietas gentiū, id eſt, impiorum per deſperationem, qui extabeſcent præ timore & expectatione eorum, quæ ſuperuenient orbi terrarum Lucæ. 21. Item, Tunc uidebit eum omnis oculus & qui eum pupugerunt, & plangent omnes tribus terræ, Apoca: 1. Credimus igitur Chriſtum & uiuos, id eſt, pios & fideles in extremo die ſaluaturū, & mortuos, id eſt, impios ac infideles damnaturum, tantum, quia ipſum pro ſaluatore recipere noluerunt. Quod autem dicturus

eſt impijs in illo die, diſcedite a me &c.
quia non dediſtis mihi manducare &c.
Oſtendit eos non habuiſſe fidem, quia fructus fidei, hoc eſt, bona opera non fecerunt erga proximum. Nam bona opera fidem oſtendunt, ſicut fructus arborem, & ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.

Atq; hæc ſunt nouem beneficia ſeu media noſtræ redemptionis, quibus Ieſus Chriſtus eſt factus noſter Dominus & ſaluator, nempe quod ſit.

I Conceptus e Spiritu ſancto.
II Natus ex Maria uirgine.
III Paſſus ſub pontio Pilato.
IIII Crucifixus mortuus et ſepultus

Hæc media nobis Chriſtum eſſe uerū hominem oſtendunt, & humanam naturam pro nobis ſuſcepiſſe, ut Epiſtola ad Hebræ. Capit. 2. teſtatur. Quia inquit pueri communicauerunt carni & ſanguini, ipſe ſimiliter participauit eiſdem, ut per mortem aboleret eum, qui

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

habebat mortis imperium, id eſt, diabo-
lum, liberaret eos qui timore mortis per totam uitam obnoxij erant ſeruituti. Nuſquam enim angelos aſſumit, ſed ſemen Abrahæ aſſumit. Vnde debuit per omnia fratribus ſimilis fieri, ut miſericors fieret & fidelis pontifex erga Deum ad expiandum delicta populi. Quia enim paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis qui tentantur auxiliari, ut Epiſtola ad Hebræ. Cum igitur habemus pontificẽ, qui poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, ut miſericordiam conſequamur & gratiam inueniamus in auxilio oportuno. Hebræ 5.

Deinde uero quod idem Ieſus Chriſtus, filius Dei unicus, Dominus noſter,

I Deſcendit ad inferos.
II Reſurrexit a mortuis.
III Aſcendit ad cœlos.
IIII Sedet ad dexteram patris.
V Inde uenturus eſt iudicare &c.

Hæc

Hæc media nobis Chriſtum eſſe uerum Deum teſtantur, ut ipſemet inquit: Ego & pater unum ſumus. Et alibi: Sicut pater ſuſcitat mortuos & uiuificat, ſic, & filius quos uult, uiuificat. Habemus itaque in ſecunda perſona Diuinitatis nempe Chriſto uerum hominem, qui uult, & uerum Deum, qui poteſt nobis in omnibus adeſſe, nos iuuare, tueri, defendere &c. Credamus igitur firmiter & omnem fidutiam noſtram collocemus in Ieſum Chriſtum, filium Dei unicum, Dominum noſtrum, cui merito ſeorſim Redemptionis beneficium tribuatur.

Dic tertium articulum?

Credo in Spiritum ſanctum &c.

Quid continet hic tertius articulus?

Tertius articulus continet beneficium Sanctificationis, quod ſoli Spiritui Sancto tribuitur. Quemadmodum enim Deus pater nos creauit, & adhuc quotidie ſua bonitate conſeruat, Chriſtus uero nos ſua paſſione & morte rede-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

mit, & adhuc ſua interceſſione, apud patrem quotidie nobis impetrat remiſſionem peccatorum: Ita etiam Spiritus ſanctus nos ſanctificat, id eſt, audito uerbo Dei, cor noſtrum tangit, & creat in nobis nouos motus, facitque, ut uerbo Dei credamus. Deinde etiam in afflictionibus conſcientias noſtras conſolatur & confirmat, ut nos eo facilius hoſtes noſtros ſuperare poſſimus. Nam nemo poteſt, neq; uerbo dei fidem adhibere, neque in tentationibus uincere, niſi per Spiritum ſanctum. Quanquam enim notitia uerbi Dei, adeoque fides ipſa ex auditu eſt, ut Paulus teſtatur Roma. 10: tamen niſi Spiritus ſanctus cor tetigerit, & in eo fidem creauerit, nemo credere poteſt. Ideo Paulus Roma. 1. & in multis alijs locis uocat Spiritum ſanctum, Spiritum ſanctificationis, eo quod ipſe Sanctificat nos omnes, id eſt, ex prophanis ſanctos, ex impijs pios, ex infidelibus fideles facit per fidem, quam creat in cordibus noſtris, per auditum Euangelij. Chriſtus uero uocat eum Paracletum, id eſt,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

conſolatorem, propterea quod nos conſolatur in neceſſitatibus noſtris, quemadmodum ediuerſo Spiritus immundus in ſcripturis appellatur Spiritus Satanę. quia nobis aduerſatur, & nos ſubinde contriſtat. Credamus igitur in Spiritum ſanctum, id eſt, firmam fidutiam & ſpem in eum collocemus, qui nos ſanctificat, & ſua gratia cor noſtrum illuminat ad apprehendendum uerbum Dei, per fidem in Ieſum Chriſtum. Deinde cum peccata noſtra nos perterrefaciant, erigit nos Spiritus ſanctus, conſolatur nos, adiuuat infirmitatem noſtram, & annunciat nobis per prædicationem Euangelij, remiſſionem peccatorum, iuſtitiam & uitam æternam.

Quæ eſt Summa doctrinæ Spiritus ſancti?

Spiritus ſanctus in ſumma docet hęc quatuor, quæ uſque ad finem Symboli ſequuntur, ſcilicet.

I Vnam ſanctam Eccleſiam.
II Remiſſionem peccatorum.

III Reſur-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

III Reſurrectionem Carnis.
IIII Vitam æternam.

Dic primum?

Credo eſſe unam ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem.

Quid ſignificat uocabulum Eccleſiæ?

ECcleſia ſignificat congregationem, conuentum, cœtum, a uerbo græco ἐκκαλέω, id eſt, conuoco, congrego, Inde Eccleſia Chriſtiana, id eſt, congregatio eorum, qui credunt in Chriſtum.

Quid eſt Eccleſia Chriſtiana?

ECcleſia Chriſtiana eſt congregatio fidelium, quibus eſt unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnia, & in omnibus, ita definit Paulus Eccleſiam ad Ephe. 4. Petrus uero eandem

in hunc

in hunc modum deſcribit 1. Pet. 2. Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus peculiaris. Item Chriſtus ipſe definit Eccleſiam, cum inquit, Vbi duo uel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ego ſum in medio illorum, Ergo Eccleſia Chriſtiana eſt congregatio illorum, qui credunt in Ieſum Chriſtum.

Quare Eccleſia dicitur Sancta?

ECcleſia propterea dicitur Sancta, quia Sanctificata eſt precioſo ſanguine Chriſti, quemadmodum Paulus Ephe. 5. teſtatur: Chriſtus, inquit, dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, ut illam ſanctificaret mundatam lauacro aquæ per uerbum, ut adhiberet eam ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam huiuſmodi, ſed ut eſſet ſancta & irreprehenſibilis.

Quare dicitur Catholica?

Catho-

CAtholica dicitur, id eſt, uniuerſalis, quia non in uno tantum loco, aut una regione, ſed ubique terrarum reperi untur homines, qui ex Spiritu ſancto ſan ctificati in Chriſtum credunt, etiamſi ha= beant diuerſos ritus & diuerſas ceremoni as; tamen qui ſunt unanimes in doctrina & notitia de Chriſto, dicuntur Eccleſia Chriſti, ſicut populus Chriſti, regnum Chriſti &c. Sic enim Paulus 1. Corin. 1. cum ſalutem dicat Eccleſię Dei, quæ fuit Corinthi. Sanctificatis per Chriſtum Ie= ſum, uocatis ſanctis, addit: una cum om= nibus, qui inuocant nomen Domini no= ſtri Ieſu Chriſti, in quouis loco uel ſuo uel noſtro, ubi clare patet Eccleſiam non in uno loco eſſe, ſed quod omnes, ubi= cunque fuerint, fideles unam faciunt Ec cleſiam. Itaque recte Catholica, id eſt, uni uerſalis Eccleſia uocatur, quæ reuera eſt quędam communio Sanctorum, ſcilicet, tam eorum, qui dormiunt in Chriſto, quam eorum, qui uiuunt & credunt in Chriſtum, Imo etiam eorum, qui creditu ri ſunt per uerbum Dei, in Chriſtum.

Sanctificat igitur nos Spiritus ſanctus, cum in unam Eccleſiam conuocat, ubi prædicato Euangelio de Chriſto, gratiam ſuam in corda noſtra, ut in Chriſtum credamus, diffundit. Quamobrem, quemadmodum credimus in Spiritum ſanctum: ita etiam eſſe unam ſanctam Eccleſiam Catholicam, & ſanctorum communionem credamus.

Dic Secundum.

CRedo remiſſionem peccatorum, ſcilicet eſſe in Chriſto Ieſu. Ille enim habet poteſtatem remittendi hominibus peccata. Nam cum eſſet factus uictima pro nobis, tulit omnia peccata noſtra in humeros ſuos. Vnde Eſaias dicit: Poteſtas eius ſuper humeros eius. Sanctificat itaque nos Spiritus ſanctus, quando uerbo Dei gratiam addit, ut remiſſionē peccatorū nobis per Chriſtū contingere credamus. Hæc eſt profecto magna conſolatio, quod certi ſumus nos cōſequi poſſe remiſſiōem peccatorū, & ſaluos fieri per nomen Ieſu Chriſti, .i. propter beneficia

Ieſu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Ieſu Chriſti, quemadmodum Petrus in
ſuis concionibus teſtatur. Vt Acto. 2.
cum ait: Delictorum pœnitentiam agite
& baptizetur unuſquiſque ueſtrum in
nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionem
peccatorum, & accipietis donum Spi-
ritus ſancti. Et Actorum. 4. Nec eſt ali-
ud nomen ſub cœlo datum hominibus,
per quod oporteat nos ſaluos fieri. Item
Acto, 10. Huic omnes Prophetę teſti-
monium perhibent, quod remiſſionem
peccatorum accipiant per nomen eius,
omnes, qui credunt in eum. Porro quid
ſit remiſſio peccatorum & quomodo
eam conſequamur, ſupra dictum eſt. Si-
cut igitur quotidie in multis offendimus
omnes, ita nos credere debemus quoti-
dianam eſſe in Eccleſia remiſſionem pec
catorum. Oportet enim prædicari in no
mine Chriſti, Pœnitentam, & remiſſio-
nem peccatorum, in omnes gentes, Lu-
cæ ultimo. Quare etiam orare debemus
quotidie pro remiſſione peccatorum.
Remitte nobis debita noſtra &c. Pro
hac enim orant Deum omnes ſancti in

tempore

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

tempore oportuno, quia beati ſunt, quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum recta ſunt peccata. Beatus uir cui non imputat Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus. i. qui uere credit remiſsionem peccatorum. Pſalmo. 31.

Dic tertium.

CRedo carnis reſurrectionem, id eſt, credo quod poſt hanc uitam reſurgat, caro noſtra, & clarificetur, fiatque immortalis, ſicut & Martha de fratre ſuo dixit. Scio quod reſurget in reſurrectione, in nouiſſimo Die. Spiritus ſanctus enim non ſolum animam, ſed & carnem piorum uult ſanctificare, quod Paulus teſtatur 1. Corin. 15. Chriſtus, inquit, reſurrexit a mortuis primitię dormientiũ. Et infra eodem Capite: Omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba. Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti &c. Imo totum illud Caput de reſurrectione carnis agit. Et Chriſtus ipſe Ioannis 5. ait, uenit hora, in qua omnes qui in monumentis

ſunt, audient uocem eius, & procedent, qui bona fecerunt, id eſt, qui fidem bonis operibus oſtenderunt, in reſurrectionem uitæ, qui uero mala egerunt, id eſt, impij, qui nec fidem habuerunt, nec ullũ fidei fructum oſtenderunt, in reſurrectionem iudicij, id eſt, in æternam damnationem. Huius reſurrectionis imaginem quodãmodo uidere licet in uiſione Prophetica Ezechielis 37. ubi poſt longam uiſionem de oſſibus, neruis, carne, cute, ſpiritu &c. tandem huc ſumma redit. Ecce ego aperiam tumulos ueſtros, & educam uos de ſepulchris ueſtris etc. Docet ergo Spiritus ſanctus credendam eſſe carnis reſurrectionem, in qua ſimul cum anima, etiam corpus noſtrum glorificabitur immortalitate. Quia ſi credimus, ut Paulus inquit, quod Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit, credamus & hoc, quod Deus eos, qui dormierunt per Ieſum, adducet cum illo.

Dic quartum:

Credo eſſe uitam æternam.

Hoc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

HOc eſt, credo poſt hanc uitam, cor-
poralem, quæ cito peritura eſt, ali-
am eſſe uitam, quæ duratura eſt in æter-
num. Ita enim inquit Paulus 2. Corin. 5.
Scimus, quod ſi terreſtris domus no-
ſtra huius habitationis diſſoluatur, ædifi-
cationem ex Deo habemus, domum
non manufactam, ſed æternam in cœlis.
Imo hanc uitam cupit Paulus, cum ait,
ad Philip. 1 Cupio diſſolui, & eſſe cum
Chriſto. Nam ubi Chriſtus eſt, ibi etiam
eſt uita æterna. Porro quanquam adhuc
expectamus uitam æternam, tamen inte
rim dum hic ſumus, inchoatur in nobis
per notitiam & fidem in Chriſtum, ſicut
ipſemet, teſtatur in oratione ſua Ioan. 17
Hæc eſt, inquit, uita ęterna, ut cognoſcāt
te ſolum uerum Deum, & quem miſiſti,
Ieſum Chriſtum. Atq; ita ſumus etiam-
num in uita æterna, & ſpe ſedemus in cœ
leſtibus Ephe. 2. Imo conuerſatio noſtra
eſt in cœlis, Philip. 3. Sed nondum inte-
rim apparuit quod futuri ſumus, ſcimus
quod cum apparuerit, ſimiles ei erimus,
quoniam uidebimus eum ſicuti eſt. 1.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Ioan. 3. Et Chriſtus ipſe ait: Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Et alibi. Ego uitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Ita ergo ſanctificat & certificat nos Spiritus ſanctus, etiam de uita æterna per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum.

Conſiſtit igitur tota ſanctificatio noſtra in his quatuor, ſcilicet: quod ſumus in Eccleſia, & corpus Chriſti, membra de membro 1. Corint. 12. Imo de carne eius, & de oſſibus eius Ephe. 5. deinde habemus remiſſionem peccatorum. Ad hæc etiam caro noſtra reſurget in nouiſſimo die, Poſtremo dedit nobis Deus uitam æternam, & hæc uita in filio eius eſt. 1. Ioannis. 5.

Atque ſic breuiter comprehenſa eſt fides noſtra in his tribus articulis, quod ſcilicet nos credere debemus in Deum patrem, qui nos creauit, in Deum filium, qui nos redemit, & in Deum Spiritum ſanctum, qui nos ſanctificauit & ſubinde magis renouat, & purificat omnes, qui Euangelio credunt. Noſtrum igitur

eſt dare

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

eſt dare operam, ne hæc fides nobis eripiatur. Nam Satan nunquam circumire deſinit tanquam leo, quærens quem deuoret, quemadmodum uidemus Turcas, Iudæos & omnes Chriſti aduerſarios a fide auerſos eſſe. Oremus igitur ſedulo cum Apoſtolis in hunc modum. Domine adauge nobis fidem. Hæc de ſecunda parte Catechiſmi, nempe Symbolo fidei dicta pro Catechumenis ſufficiunt.

Tertia pars Catechiſmi.

HVcuſque duas principales Catechiſmi partes, Decalogum ſcilicet & Symbolum fidei utcunque abſoluimus, pro captu eorum qui prima Chriſtianæ religionis rudimenta imbibere cupiunt. Nunc ſequitur tertia pars. Oratio Dominica, in qua fides & inuocatio exerceri debent.

Quid eſt oratio?

ORatio eſt ex fideli cordis adfectu precatio, qua cum Deo loquimur,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

hoc eſt, primum gratias agimus Deo pro beneficijs acceptis, deinde porro aliquid a Deo petimus. Nam orare ſignificat habere affectum ſemper a Deo omnia petendi. Atque hic eſt uerus cultus Dei, & uerum miniſterium, quod exhibeamus Deo patri noſtro per Ieſum Chriſtum. Eſtque præſtantiſſimum opus omnium operum, & uerum ſacrificium quo Deo, nobis ipſis, & omnibus Chriſtianis, adeoq; toti mundo inſeruire poſſimus. Quare Chriſtus iubet nos ſemper orare. Et Paulus ad Rom. 12. & Coloſſ. 4. Vult nos orationi inſtare, id eſt, aſſiduos et uigilantes eſſe in ea cum gratiarũ actione, Et 1. Theſſ. 5. ait: Orate ſine intermiſſione. Item 1. Timoth. 2. Volo uiros orare in omni loco. Ita ſerio ſcriptura in multis locis nos ad orandum hortatur. Quia nõ eſt labor ſicut orare. Nam Satan perpetuo conatur impedire fidelem orationẽ, & publicam, quæ fit in Eccleſia, & priuatam, quæ fit ſeorſim in conclaui &c. Porro cum ex definitione conſtet orationẽ eſſe, habere affectum omnia petendi a

Deo,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Deo, non debet intelligi oratio de multi loquijs & murmurationibus, quæ fiunt paſſim in templis, Vt olim fuerunt quidam fatui Euchitæ, qui moti hoc loco ubi Chriſtus dixit: Semper orate, ſemper murmurabant ſuos Pſalmos in templis. Longe enim aliud eſt recitare aliquot Pſalmos, quam orare, ut ex definitione patet.

Quot ſunt ſpecies Orationis?

Species orationis duæ conſtituendæ ſunt, ſcilicet.

I Inuocatio.
II Gratiarum actio.

Deinde ſequuntur & aliæ ſpecies ut.

I Obſecratio.
II Interpellatio.
III Pia expoſtulatio.
IIII Precatio.
V Deprecatio &c.

Quid eſt inuocatio?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Inuocatio eſt. aliquid a Deo petere, Tunc enim Deus a nobis inuocatur, ut Miſerere mei Deus, & ſimiles Pſalmi, qui ſunt precationes.

Quid eſt gratiarum actio?

GRatiarum actio eſt pro beneficijs acceptis Deo gratias agere, & agnoſcere quod diuinitus cōtigerit auxilium, ut Pſal 49. Inuoca me in die tribulationis & ego exaudiam te, & tu glorificabis me id eſt, gratias mihi ages, & agnoſces mea beneficia. Item Philip. 4. Non ſitis ſoliciti, ſed in omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione petitiones ueſtrę innoteſcant apud Deum. Huc referuntur omnes Pſalmi, quos hymnos uocamus, ut Confitemini, Benedicite, Laudate &c.

Quæ ſunt illa, quæ requiruntur ad ueram & Chriſtianam Orationem?

Ad ueram & Chriſtianam Orationem hæc quatuor requiruntur, ſcilicet.

I Præcep-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

I Præceptum.
II Promiſſio.
III Fides.
IIII Res petenda.

Oraturus enim hæc quatuor ſemper debet conſiderare, alioqui profecto neſcimus quid, aut quomodo ſit orandum, ut Paulus inquit Roma. 8.

Vbi præceptum eſt, ut Oremus.

PRæceptum habemus Matthi. 7. Petite & dabitur uobis, Lucę 18. Oportet ſemper orare & non defatigari. Matthei. 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem, & apud Paulum 1. Theſſa. 5. Inceſſanter orate. Et Pſal. 49. Inuoca me in Die tribulationis &c. Hic uides præceptum, quod orandum ſit. Atque hi loci omnes pertinent ad ſecundum Decalogi præceptum, quod requirit inuocationem & gratiarum actionem, ut ſupra. Quare diſcamus, hic maximum eſſe peccatum, & contra primam tabulam, non

 orare,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

orare, Non reddere Deo hũc cultum inuocationis, non petere, non expectare a Deo auxilium in periculis, non agere gratias pro beneficijs acceptis &c.

Vbi Deus promittit ſe exauditurum inuocantes & orantes.

PRomiſſio, quę etiam in oratione cõſideranda eſt, & quæ teſtatur exaudiri preces noſtras, ac efficaces eſſe, ſæpe repetita eſt in Scripturis, ſeorſim uero Ioan. 16. Amen amen dico uobis, quicquid petieritis patrem, in nomine meo, dabit uobis, ubi etiam iuramento affirmat patrem nos inuocantem exauditurum eſſe. Sic Lucæ 6. Quanto magis pater ueſter, qui in cœlis eſt, dabit ſpiritum ſanctum petentibus ſe. Et præclare dixit Thaulerus, homines nunquam tam pronos eſſe ad orandum, quin Deus pronior ſit ad largiendum. Et ſi nos unum ſaltem digitum ſupplices extendimus, ille totam manum nobis porrigit. Quemadmodũ Chriſtus pulcherrime nobis oſtendit affectum & charitatẽ Dei patris erga

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

nos, in parabola de filio perdito, Lucę 15
Cum, inquit, adhuc longe eſſet, uidit illũ pater ipſius & miſericordia motus eſt, & accurrens, cecidit ſuper collũ eius & oſculatus eſt eum. Sit Chriſto gratia in æternum, quod tam miſericordem patrem habemus in cœlis, qui preces inuocantiũ perpetuo exaudit, cuius rei teſtimonium habes in Pſalm. 107. ubi complectitur Dauid omnis generis beneficia, quibus Deus iuuat exules, captiuos, ægrotos, naufragos, inopes, oppreſſos a tyrannis &c. de quibus omnibus repetit hunc uerſum intercalarem, ut uocant, Et clamauerunt ad Dominũ in tribulatione, & ipſe ex anguſtijs eorũ liberauit eos. Ergo & nos inuocantes eum a periculis eſt liberaturus, & noſtras preces exauditurus.

Quid tertio requiritur ad Orationem?

Tertio requiritur ad Orationẽ, fides in Ieſum Chriſtũ, Sic enim inquit Chriſtus Mat. 21. Omnia quecunque petieritis in oratione credẽtes, accipietis. Et Marc 9

Omnia

Omnia poſſibilia ſunt credenti. Item Ioan. 16. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, non dicit in alio nomine, ſed in nomine meo, ut oſtendat noſtras preces placere Deo propter ipſius beneficia, modo credamus in eum. Quare neceſſe eſt in omni precatione, ut afferamus hanc fidem, ſcilicet ut credamus nobis remitti peccata & noſtras preces placere Deo, & exaudiri propter Chriſtum, per quem ſumus filij Dei. Ioannis. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Debet igitur & fides præcedere orationem, & in nomine Ieſu Chriſti, id eſt, propter omnia beneficia nobis a Chriſto exhibita, orare debemus. Id profecto optime ſeruat Eccleſia in ueteribus precibus, in quibus ſemper addit, per Chriſtum Dominũ noſtrũ

Quid ultimo requiritur ad Orationem?

QVarto & ultimo requiritur ad orationem res petenda, ut ſcilicet unuſquiſque pro ſua neceſſitate Deo rem certam,

certam, quam precatur, uel deprecatur, nominatim proponat, quemadmodum in litanijs ſeu ſupplicationibus facere ſolemus, Et ut Paulus iubet orare pro regibus & magiſtratibus, ut Deus concedat pacem &c. Nam ſic uult agnoſci Deus, quod ipſe nos conſeruet & noſtra pericula gubernet, quod ipſe nobis donet ſpiritualia & corporalia bona. Sic & Dauid in Pſalmis paſſim orat pro Eccleſia, pro pace politica, & alijs rebus neceſſarijs, quas interim agnoſcit eſſe dona Dei. Oportet igitur nos aliquid certi a Deo petere, ne oratio noſtra ſit inanis quædã oris deblateratio, murmuratio & ſine mente ſonus.

Quomodo eſt Orandum?

CHriſtus rogatus ab Apoſtolis, ut doceret eos orare, dixit, Cum oratis, dicite: Pater noſter &c. quaſi dicat hæc ſit oratio ueſtra, quam ego uos doceo his uerbis. Venite ad Patrem meum & petite ac dabitur uobis. Nec interim excludit Pſalmos & alias pias precatio-

nes,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

nes, quia tales omnes ad Orationem Dominicam pertinent. Nam oratio Dominica breuiter complectitur omnia, quæ ſunt petenda a Deo.

Quomodo diuidatur Oratio Dominica?

Oratio Dominica diuiditur in tres titulos, & in ſeptem petitiones.

Qui ſunt illi tres tituli?

Tres tituli in præfatione ſunt?

I Pater.
II Noſter.
III Qui es in cœlis.

Q uid ſignificat primus Titulus?

PRimus titulus ſignificat bonam & paternã Dei uoluntatem erga nos. Deus enim uult noſter pater eſſe, & ſibi nos adoptauit in filios propter Chriſtũ. Quare etiam nihil nobis denegabit, modo credamus & firma fidutia per orationem Dominicam ad eum ueniamus.

Nam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Nam quemadmodũ parens aliquis terrenus natura optime erga filium ſuum affectus eſt, nihilque ei denegat eorum, quę illi opus eſſe nouit. Ita etiam Deus pater cœleſtis optime erga nos affectus eſt, ut libere omnia, quæ nobis ſunt neceſſaria, ab eo petere, & ſine dubitatione illum hac uoce, Abba pater, implorare poſſimus. Hac ſimilitudine utitur Chriſtus ipſe Lucæ 11. Si, inquit, uos cum ſitis mali, noſtis bona dona dare filijs ueſtris, quanto magis pater ueſter de cœlo, dabit Spiritum ſanctum petentibus ſe: Et Ioan. 16. ita ait. Nõ dico uobis, quod ego rogabo patrem de uobis, Ipſe enim pater amat uos &c.

Quid ſignificat ſecundus titulus?

SEcundus titulus facit Orationem Dominicam uniuerſalem, hoc eſt, ad omnes Chriſtianos pertinere. Cum enim Noſter dicimus, ſignificamus nos eſſe in communione & Eccleſia Chriſtianorum omnium, ubicunque terrarum diſperſi fuerint. Nam ubi ubi ſunt, &

quot-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

quotquot ſunt uere Chriſtiani, ſemper habent orationem, fidem, & religionem nobiſcum communem. Quare etiam illi nobiſcum & nos cum illis pro communi neceſſitate quotidie communiter oramus, Pater Noſter. Si enim Noſter pater eſt, neceſſe eſt, nos uiciſſim eſſe filios ipſius, & fratres inter nos. Debemus itaque ut fratres, alter alterius onera portare, & pro nobis inuicem orare, ut ſeruemur.

Quid ſignificat tertius titulus?

TErtius titulus ſignificat potentiam Dei patris. Ille enim qui in cœlis habitat, ſuper omnes eſt, & omnia dare poteſt, non tantum terrena, ſed etiam cœleſtia gaudia, & uitam æternam. Porro quanquam non uidetur nobiſcum hic in terra uerſari, cum ſit inuiſibilis: tamen nihilominus nobiſcum eſt ſua potentia, ſuo auxilio, & ſua conſolatione. Sicut Chriſtus inquit Ioan. 14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus,

mus & manſionem apud eum faciemus.

Cum igitur talem habemus Deum, qui & uult nos iuuare & exaudire, quia pater eſt, & poteſt, quia in cœlis eſt, nihil reſtat, niſi ut nos recta accedamus ad thronum gratiæ illius firma fiducia. Tum haud dubie conſequemur miſericordiam & gratiam inueniemus ad auxilium oportunum.

Quomodo diuiduntur illæ ſeptem petitiones?

SEptem petitiones primum opponuntur ſeptem neceſſitatibus, quibus nos perpetuo interim dum hic in terra ſumus, laboramus. Adhærent enim noſtro mortali corpori uſque ad ſepulchrũ, unde uerum eſt, quod Eccleſia canit: Sine tuo numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium, Sunt autem hæ neceſſitates:

1 Contemptus & blaſphemia nominis dei, ſiue fames & defectus uerbi Dei, & Sacramentorum.

2 Regnum Satanæ & impiorum, quo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

nos premimur, quo minus uerbo Dei credere poſſimus.

3 Voluntas carnis noſtræ prona ad omne malum, quæ obſtat, quo minus uoluntati Dei obedire poſſimus.

4 Summa calamitas, miſeria & omnium rerum inopia.

5 Tyrannis peccati Originalis, cuius reliquiæ adhuc hærent in nobis, unde eſt, quod in multis offendimus omnes.

6 Perpetuus inſultus & perpetuæ tentationes trium nocentiſſimorum hoſtium, Carnis, Mundi, & Satanæ.

7 Magna congeries uariorum malorum ac periculorum, quibus nos miſeri mortales obnoxij ſumus.

Diuiduntur itaque hæ ſeptem petitiones in duas partes, prior continet quatuor precationes, poſterior uero tres deprecationes, precamur autem bona & deprecamur mala. Porro & bona & mala ſunt duplicia, ſcilicet, ſpiritualia & corporalia. Nos itaque ut bona ſpiritualia & corporalia precamur: ita mala etiam ſpiritualia & corporalia deprecamur, exem

plum

plum. In tribus primis petitionibus precamur hæc bona ſpiritualia, ſcilicet: uerbum Dei, Sacramentorum adminiſtrationem, fidem, gratiam Spiritus ſancti &c. quibus animam noſtram recreare, renouare ac incitare ad faciendam uoluntatem Dei poſſimus.

In quarta precamur bona corporalia, ſcilicet: panem quotidianũ, bonum Magiſtratum, pacem &c. quibus ad uictum noſtri corporis opus habemus.

In quinta & ſexta deprecamur mala ſpiritualia, quæ nocent animæ noſtræ, ut peccatũ, mortem & Satanam. In ſeptima deprecamur mala corporalia, ut famam, peſtem, gladium &c.

Comprehendimus igitur in his ſeptem Precationibus omnia, quæ ſunt nobis, & quantum ad animam, & quantum ad corpus noſtrum attinet, neceſſaria. Sed ut hæc omnia clarius intelligi poſsint, ſingulas petitiones ordine percurramus.

Quæ eſt prima Petitio?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Sanctiſicetur nomen tuum.

Quid hic precamur?

PRecamur contra contemptum & blaſphemiam nominis Dei, ut ſcilicet ſoli Deo ſit gloria, hoc fit, quando predicatur Euangelium, quod eſt pro gloria Dei & contra falſam doctrinam, qua nomen Dei blaſphematur. Petimus igitur ut nomen Dei ſanctificetur, id eſt, ſanctũ ipſius Euangelium, in quo nomen, hoc eſt, beneficia eius proponuntur nobis ad ſalutem, purum ac ſyncerum prędicetur, ut hæc ſit ſententia: Sanctificetur nomen tuum, hoc eſt, O Deus pater cœleſtis, da nobis tuum ſanctum Euangelium, ſicut filius tuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus nobis prædicauit. Fac ut tua & tui filij beneficia per totum orbem terrarum publicentur. Tunc enim nomen tuum glorificabitur. Da deinde nobis Chariſſime pater noſter tua Sacramenta, quemadmodum tuus filius Ieſus Chriſtus ea inſtituit, Et ne ſinas, nec tuum uerbum, nec tua Sacramẽta nobis eripi per falſam doctrinam,

doctrinam, ne obſcuretur ac prophane-
tur nomen tuum, ſed ſemper in nobis ſan
ctificetur ad ſalutem animæ noſtræ, pari-
terque ad gloriam tuam. Hæc petimus
a te, O pater noſter per Ieſum Chriſtum
Dominum noſtrum. Oramus igitur hic
pro pura doctrina Euangelij, in quo no-
men Dei, id eſt, gloria, honor, maieſtas,
& beneficia Dei per Chriſtum prædican
tur, oramus pro uera adminiſtratione Sa
cramentorum, ſecundum inſtitutionem
Chriſti, adeoq; pro toto uerbi miniſte-
rio, pro fidelibus ac ſynceris uerbi Dei
miniſtris, qui ſanam doctrinam tueantur
ac defendant contra contemptum &
blaſphemiam nominis Dei.

Quæ eſt ſecunda petitio?

Adueniat regnum tuum.

Quid hic precamur?

HIc ſtatim poſt uerbum Dei, pro gra
tia Spiritus ſancti, & incremento fi-
dei Deum precamur contra incredulos
& tyrannos, qui Euangelium perſequun

tur,

tur, adeoque contra totum Satanæ regnum, ut ſcilicet inuitis omnibus portis inferorum, Euangelium & promiſſiones Dei fide apprehendere poſſimus. Eſt itaque hæc ſententia. O Deus pater noſter cœleſtis, oramus te per Ieſum Chriſtum filium tuum, ut cum prædicetur uerbum tuum apud nos, etiam nobis donare uelis gratiam Spiritus ſancti, ut nouos motus in animo concipiamus, & uerbo tuo per fidem aſſentiamur. Notitiam enim tui uerbi ſentimus, ſed perfectum aſſenſum nondum ſentimus. Adauge igitur nobis fidem, ut magis ac magis credamus tuo Euangelio, & maneamus in regno filij tui Ieſu Chriſti, ne cum hoc mundo ſub Satana pereamus & damnemur. In ſumma da fideles uerbi tui auditores, fac ut multi credant Euangelio, & augeatur regnum tuum ac populus tuus multiplicetur.

Quæ eſt tertia petitio?

Fiat uoluntas tua, ſicut in cœlo & in terra.

Quid

DVę priores petitiones complectuntur ea, quæ Lex decalogi requirit in prima tabula, ſcilicet internum & externum cultum Dei, quem ut ei nos exhibere poſſimus, opus eſt Euangelio, Sacramentis, fide, donatione Spiritus ſancti &c. Hæc uero petitio comprehendit ea, quæ Lex in ſecunda tabula requirit, nempe ut uoluntas Dei fiat in terris, id eſt, inter homines, per obedientiam erga ſuperiores, charitatem erga proximum &c. Vt uita noſtra reſpondeat Euangelio quantum fieri poteſt, ut denique fides ex auditu uerbi concepta pariat in nobis fructus, ne carnis noſtræ uoluntati ac libidini morem geramus, & fructificemus ad mortem & damnationem. Id enim Fateri cogimur, nos neque tam firmos, neque tam integros eſſe, quin etiamſi uerbum ac fidem habeamus, ſemper a carne retrahamur ad ſecuritatem, inobedientiam, enormia flagitia &c. Nam reliquiæ peccati, adhuc hærent in nobis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Deinde etiam occulta uitia & peccata quam plurima, quæ ipſimet non intelligimus. Poſtremo ſi non ſatis inſanimus, ipſe Satan nos inſtigat, ut ipſius uoluntatem perficiamus. Ideo hęc precatio ęque neceſſaria eſt, ut priores, ne audito uerbo iam ſecurę uiuere præſumamus, quaſi ſic perpetuo conſiſtere queamus. Eſt itaque huius petitionis hæc ſententia: O pater noſter cœleſtis, oramus te per Ieſum Chriſtum filium tuum, ut qui pro tua benignitate uerbum tuum tam liberaliter nobis prædicari feciſti, atque Spiritum tuum ſanctum dediſti, cuius motu ac renouatione uerbum tuum fide apprehendimus, etiam noſtram uoluntatem, uitam & mores gubernare uelis, ut cum ſentiamus adhuc per uoluntatem carnis nos retrahi ac retardari, quo minus uita noſtra uerbo tuo reſpondeat, tua bona & paterna uoluntas in nobis ac in tota Eccleſia fiat. Videmus enim angelos & omnes cœleſtes creaturas, atque cœleſtia corpora, ſolem, lunam, & cæteros planetas. Item ſtellas omnes tuæ uoluntati inſeruire,

uire, ac ſuum ordinem & curſum perpe-
tuo conſeruare, ut ne latum quidem unguem a tua uoluntate diſcedant. Item quod aues, piſces, & cætera animantia omnia tuam uoluntatem faciunt. Ad eundem igitur modum, O cœleſtis pater, noſtros ſenſus, noſtram uitam & noſtros mores dirige ſecundum uerbum tuum, ut tuæ uoluntati obediamus, & proximo noſtro per charitatem inſeruiamus.

Quæ eſt quarta petitio?

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Quid hic precamur?

HActenus Deum orauimus pro ſpiritualibus bonis conſequendis, quibus & gloria Dei promoueri, & anima noſtra foueri ac ſuſtentari queat, nunc in hac quarta petitione tranſimus ad corporales neceſſitates, & oramus Deum pro uictu & rebus noſtro corpori neceſſarijs, tam contra turpem omnium rerum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

egeſtatem ac inopiam: quam contra ido
lorum ſeruitutem, auaritiam. Item contra
Mammona & illam impiam omnium re
rum ſollicitudinem, quæ prouenit ex in-
credulitate. Significat autem hic Panis
hebraica phraſi omnia, quæ ad uictum
pertinent, cibum, potum, aerem, ignem,
aquam, ligna, ueſtes, uxorem, liberorum
piam & honeſtam educationem, pa-
cem, defenſionem, ſucceſſum in rebus
gerendis, denique omnia huius uitę com
moda. Porro per Quotidianum intelli-
git continuum & perpetuum. Hodie ue-
ro inquit, ne ſimus ſolliciti in craſtinum,
hoc eſt, ne doleamus de die craſtino,
quaſi Deus hodie tantum & non cras eti
am noſtri curam habere uelit. Interim
non prohibet prouidentiam domeſti-
cam, & procurationem in craſtinum,
in annum &c. cum fiat in fide, hoc eſt,
ſobrie, iuſte & pie, ſine nimia & im-
pia ſollicitudine, Noſtrum addit, &
quia omnia quæ ſunt Chriſti etiam no-
ſtra ſunt, Pater enim nobis omnia cum
illo donauit: & quia noſtro labore & ſu-
dore

dore uictum acquirere debemus. Et igi-
tur hæc ſententia: O pater cœleſtis da, da
inquã, tu nobis filijs tuis per Ieſum Chri-
ſtum, ne furemur, latrocinemur, aut alios
qui per fas & nefas corrodamus, ſed ape
riente te manum tuam colligamus ho-
die, cras & ſemper eſcam & omnia, quæ
ad huius uitæ neceſſitatem pertinent, ut
mens noſtra ſana in corpore ſano, ad fi-
nem uſque uitæ noſtræ, tibi per fidem
& proximo per charitatem inſeruire,
poſſit.

Quæ eſt quinta petitio?

Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.

Quid hic deprecamur?

HVc uſque precabamur Deũ pro bonis, bonis, inquam, ſpiritualibus, & corporalibus, nunc ſequuntur mala, quæ deprecari debemus, quorum primum & maximum eſt peccatum, originale

& actuale,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

& actuale, cum ſuo ſtipendio morte ęter
na. Porro per hoc quod peccatum uo-
cat debitum, reſpicit ad librum legis, in
quo omnia noſtra debita ſcripta ſunt, ita,
ut niſi interim propter Chriſtum nobis
remiſſa fuerint, etiam de quocunque uer
bo ocioſo, nedum de tota legis transgre-
ſſione rationem reddamus in extremo
die. Peccamus enim quando non faci-
mus aut omittimus ea, quæ tamen face-
re aut omittere debemus. Nam pecca-
tum eſt omne illud, quod aut fit prohi-
bente lege, aut non fit iubente lege. Vo-
catur itaque debitum, quia quę non de
buimus facere fecimus, & quæ debui-
mus facere non fecimus. Eſt igitur hæc
ſententia: O cœleſtis pater, oramus te
per Ieſum Chriſtum filium tuũ, ut quan-
quam in multis quotidie nos omnes te
& noſtrum proximum offendimus, ex
eo, quod reliquiæ peccati adhuc in nobis
hærent, tamen nobis noſtra peccata non
imputare, ſed remittere & condonare
uelis, quemadmodum & nos conſecuti
miſericordiam & remiſſionem peccato-
rum,

rum, ad condonandum proximo magis ac magis inclinamur, & animum noſtrũ ita inſtituimus ex uerbo tuo, ut non ſit, ne unus quidem in uniuerſo orbe terrarum, cui per inuidiam nocere, ſeu aliquid mali optare aut facere uelimus. Imo etiam hunc animum, optime Pater, concede nobis, ut quemadmodum tu nobis ex gratia tua totum remiſiſti debitum, & nos uiciſſim noſtro proximo ex corde penitus omnẽ iniuriam & offenſionem condonare poſſimus.

Quæ eſt ſexta petitio?

Et ne nos inducas in tentationem.

Quid hic deprecamur?

HIc conſequenter deprecamur ea mala, quę peccato & morti uicina ſunt, nempe tentationes ſpirituales, non tantum Satanæ, ſed etiam Carnis & mundi. Eſtque hæc petitio admodum neceſſaria. Cum enim habemus uerbum Dei & fidem, uitamque Chriſtianam bene ui-

uere inſtituimus, & tam corpori, quam animæ bene proſpectum eſt, non debemus propterea ſtatim exiſtimare nos iam eſſe omnium rerum ſecuros, ac ita liberos, ut nullum periculum ultra timeamus. Nam adhuc in carne noſtra reliquum eſt uſque ad ſepulchrum, ut tentemur, ac humiliemur, ne ſupra modum extollamur, & ne fides ac inuocatio torpeſcant in nobis, ſed habeant perpetuam occaſionem exercendi ſe in uerbo Dei. Non enim dormiunt hoſtes noſtri, ſed ſemper in armis & expeditione contra nos conueniunt, primum ipſa caro noſtra, quam ueterem hominem uocat Paulus, ad uoluptates nos ut abducere poſſit. Deinde mundus, quæ uoluntati Dei ſunt contraria, nobis conſulere & perſuadere conatur, nūc blanditur, nunc minatur & totus in maligno poſitus eſt. Poſtremo Satan nihil non molitur ut abſtrahat nos a uerbo & fide. Imo tanquam Leo rugiens ut Petrus inquit, circumit quærens quem deuoret. Ideo etiam Paulus Ephe. 6. ait. Non eſt nobis lucta ad-

uerſus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

uerſus carnem & ſanguinem (ſcilicet tantum) ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates & aduerſus mundi dominos, rectores tenebrarum ſeculi huius, aduerſus ſpirituales aſtutias in cœleſtibus &c. Hæ ſunt tentationes quotidianæ, quę nobis incumbunt & cum quibus nobis luctandum eſt. Quare etiam Chriſtus nos adhortatur ad uigilandum & orandum cum inquit, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Eſt itaque hæc ſententia: O Deus pater cœleſtis defende nos contra diaboli inſidias, contra carnis illecebras, & contra mundi huius tam minas, quam blanditias, ne pertrahamur ad impietatem, ad peccata &c. ne ſeducamur per falſam doctrinam, ne te & tuum uerbum deſeramus, ſed tuis promiſſionibus conſtanti fide per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum adhæreamus.

Quæ eſt ſeptima petitio?

Sed libera nos a malo.

Quid hic deprecamur

Hæc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Hæc petitio ſeorſim inſtituta eſt, contra mala corporalia ſeu corporales tentationes & afflictiones, ut contra peſtem, famem, gladium, morbum gallicum &c. tametſi poteſt etiam communiter de omnibus, in uniuerſum, afflictionibus, ſpiritualibus & corporalibus intelligi, ut ſit omnium ſuperiorum petitionum quaſi concluſio, & finalis petitio contra peccatum, pœnam, culpam, mortem & omnia mala, quæ nominari poſſunt & quorum magnam partem Eccleſia recenſet in litanijs. Eſt itaquæ hæc ſententia: O Deus pater noſter cœleſtis, libera nos ab omni peccato, ab omni errore, ab omni malo, ab inſidijs diaboli, a ſubitanea & improuiſſa morte, a peſte & fame a ſeditione & ſimultate, ab hypocriſi & tyrannide, a fulgure & tempeſtate, a morte perpetua &c. Idque ſemper & omni tempore tam fœlicitatis quam tribulationis noſtræ, Imo in hora mortis, atque in die iudicij, libera nos domine Deus, Pater, per Ieſum Chriſtum, ita tamen, ut in his omnibus, tuum nomen

glorificetur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

glorificetur, tuum regnum multiplicetur, & tua diuina uoluntas fiat perpetuo, & in æternum, Amen.

Quid ſignificat Amen?

AMen eſt hebraica uox, quæ a ueritate & certitudine nomen habet, ac ſignificat idem, quod, Fiet uerum, ſic efficietur, ita erit &c. ut omnes promiſſiones Dei ſunt Amen & etiã, id eſt, Deus certiſſime præſtat ea, quę promiſit. Item, Et dicat omnis populus Amen, id eſt, & corde credat & ore cõfiteatur, hæc omnia ſic a Deo impetrari. Nam uerus eſt, fallere non poteſt. Confirmat itaque & certificat noſtram fidem hæc uox, Amẽ, cum ſit quaſi reſpõſum diuinum, quo approbat noſtram orationem, & nos exauditos eſſe affirmat, quaſi dicat, non eſt ꝗd dubitetis filioli de mea benignitate, miſericordia, & promiſſionibus. Ego enim ipſe præcepi uobis, ut oraretis, Et filius meus ita uos orare docuit, præterea etiam promiſi me exauditurum uos. Stabo itaque promiſſis, & ſi non ea, quæ pe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

titis, multo tamen meliora dabo. Salus enim ueſtra ego ſum. Ego elegi uos, non reijciam uos. Ego ego ipſe ſum, qui deleo iniquitates ueſtras propter me. Nolite deſperare, filius meus redemit uos, nolite timere, Ego ego ipſe conſolabor uos. In ſumma, Etiamſi mulier obliuiſcatur infantis ſui, ego tamen ueſtri nunquam obliuiſcar. Quare cum fiducia me accedite, me inquam, meipſum, quia amo uos, & neceſſitates ueſtras mihi libere proponite, nolite quicquam reticere, nec ueremini, ſed credite mihi, aut con ſolando, aut cōſilio, aut re iuuero, Amen amen, hoc eſt, ita haud dubie fiet.

Atque hæc eſt Oratio Dominica, in qua Deo patri per Ieſum Chriſtum omnes noſtras neceſſitates ſpirituales & cor porales, publicas & priuatas, præſentes & futuras, ſecundum uoluntatem ipſius, firma fide proponamus, & ſtatuamus nos certo exaudiri. Ita enim inquit Ioannes in ſua Epiſtola, hæc eſt fiducia quam habemus apud Deum, quod quicquid petierimus, ſecundum uoluntatem eius, audit

audit nos. Et cum ſcimus quod audit nos, quicquid petierimus, ſcimus quod habemus petitiones, quas poſtulauimus ab eo. 1. Ioannes. 5. Reliquum eſt igitur ut in hac oratione, noſtram fidem & inuocationem perpetuo exerceamus, ita, ut Oratio ſit omnium operum noſtrorum mane primum & ueſperi poſtremum. Ad quod faciendum, non tantum Dei mandatum & promiſſio, ſed etiam ex una parte periculorum noſtrorum magnitudo, ex altera uero beneficiorum Dei multitudo nos excitare ac inuitare debent, ut ſcilicet ex corde & ſerio diuinam opem imploremus, hic enim eſt cultus Deo gratiſſimus, & ad conſeruandam fidem ſumme neceſſarius, modo alioqui fiat in fide & per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Hic neceſſarium duxi admonendos omnes pios ac fideles paſtores & uerbi Dei miniſtros, ut ipſi præ omnibus ubique & ſemper orare & ut omnia, ita uel maxime negotiũ Euangelij & miniſterium uerbi Deo patri per Ieſum Chriſtũ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

commendare uelint. Idem & Pſalmus noſter, noſter inquam, nos admonet. Ecce benedicite Dominum omnes ſerui Domini, qui noctu ſtatis in domo Domini. Leuate manus ueſtras ad ſanctuarium, id eſt, orate, Et benedicite Domino, id eſt, prędicate, ſcilicet, hoc quod ſequitur, Benedicat tibi, id eſt, remiſſionem peccatorum iuſtitiam & uitam æternam det tibi Dominus, iſt eſt, Ieſus Chriſtus, ex Zion, id eſt, per ſuum ſanctum Euangelium, quod ex Zion prodidit. Qui fecit cœlum & terram, id eſt, qui patri potentia eſt cum patre, & per quem pater omnia creauit. Hic eſt noſter Pſalmus, quia nos Eccleſiæ miniſtros hortatur, Primum, ut aſſiduo oremus pro Eccleſia. Deinde ut fideliter noſtrum officium in Eccleſia faciamus, & diligenter uerbum Dei prædicemus. Hæc enim ſunt duo officia noſtra, Orare ſcilicet & prædicare Euangelium Chriſti, quibus duobus, plus efficiamus in cauſſa Euangelij, quam ſi alijs quibuſdam medijs homines ad fidem & Sacramenta compellere

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

lere ſtudeamus. Paulus plantauit, ſed per orationem & prædicationem. Apollo rigauit, ſed per orationem & prędicationem. Deus autem dedit incrementum. Sit ergo hæc noſtra portio, ſcilicet plantare, id eſt, docere, & rigare, id eſt, admonere per fidelem orationem & diligentem uerbi Dei prædicationem, tertiam uero curam reijciamus in Deum, qui nouit, qui ſunt eius, ne nos nimia, anxia & quaſi impia ſollicitudine Deum offendamus, ſi uel per impatientiam deſeramus officium & uocationem noſtram, propter quorundam ingratitudinem, inobedientiam ac incredulitatem, uel alijs iniquis medijs utamur extra & contra mandatum Dei, Cum igitur certi ſumus, quod nemo perit, niſi filius perditionis, quid eſt, quod nos uſqueadeo cruciemus propter eos, qui hunc mundum ſequuntur? Moſes uoluit deleri de libro uitæ propter populum Dei. Chriſtus infremuit & turbatus eſt ſpiritu propter impios, fleuit ſuper ciuitatem Hieruſalem. Et Paulus uoluit eſſe Anathema, id eſt,

reiectus a Deo, pro fatribus, uoluit diſſol
ui & eſſe cum Chriſto, ſed interim totam
Cauſſam Deo commiſerunt, nec propte
rea ſuam uocationem deſeruerunt, ſed
orationem fidelem ad Deum inſtitue-
runt & exauditi ſunt. Confugiamus er-
go & nos in nomine Ieſu Chriſti ad ora-
tionem pro & contra impios, tum uide-
bimus mirabilia, ſicut hactenus etiam ui-
dimus Deum mirificare ſanctos ſuos, ſit
Chriſto gratia in æternum Amen.

DE SACRAMENTIS.

POſtquam tres Catechiſmi partes de lege, fide & oratione qualitercunque abſoluimus, ſequuntur nunc duo Sacramenta, de quibus, quia res poſtulat, breuiter aliquid dicendum eſt. Sunt enim appendices & quaſi ſigilla ſuperiorum. Nam Catechiſmus non incommode poteſt comparari literis indulgentialibus, ut uocãt, quæ diplomata appendentia inferius habent. Quemadmodum enim literæ indulgentiales impios ¦ quoſdam

articulos

articulos & ab hominibus ad auaritiam excogitatos continent, de lacticinijs, de purgatorio &c. qui tamen confirmantur diplomatis appẽdentibus, ne quiſquam de illis dubitare preſumat, ita Catechiſmus econtra, pios quoſdam & diuinos articulos continet de lege, fide ſeu Euangelio & oratione, quibus ut fidem habeamus, addita ſunt Sacramenta, tanquam certa quedam ſigilla, inferius appendentia, quæ noſtram de Catechiſmi articulis fidem confirmant. Itaque neceſſaria eſt doctrina de Sacramentis in Eccleſia Chriſti, nempe quibus certificemur in conſcientijs noſtris de promiſſionibus Dei.

Quid eſt Sacramentum?

SAcramentum, ſeu noui teſtamenti ſigillum eſt certum ſignum a Chriſto ad hoc inſtitutum, ut nos confirmet ac certificet de promiſſionibus Dei, nobis in Euangelio propoſitis. Solet enim Deus addere ſuis promiſſionibus certa quędam ſigna, quæ incurrunt in oculos,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

miſſionibus Dei, Quemadmodum Circumciſio fuit externa quædam nota, & ut Paulus inquit Rom. 4. ſignaculum iuſtitiæ fidei, quo Abraham de promiſſionē ſeminis, in quo benedicerentur omnes gentes, eſt confirmatus. Sic & pelliceę ueſtes fuerunt primis noſtris parentibus externum quoddam ſignum huius diuinę promiſſionis. Ipſum ſemen conteret caput tuum. Ita etiam in nouo teſtamento promiſſiones de gratuita remiſſionę peccatorum, iuſtitia & uita æterna, propter Chriſtum, habent ſua quædam ſigna uiſibilia, quæ uocantur Sacramenta, eo quod noſtram infirmitatem ac imbecillitatem iuuent, ut eo facilius ducamur ad fidem erga promiſſiones Dei.

Quid eſt promiſſio diuina?

EST per Euangelium reuelatio de miſericordia Dei, de remiſſione peccatorum, deque alijs donis ſpiritualibus & corporalibus propter Chriſtum. Deus enim pro ſua erga nos charitate reuelauit

nobis

nobis in Chriſto has promiſſiones &
conſolationes inde uſque ab initio mun=
di. Nam primum ipſi Adæ primo paren
ti noſtro reuelauit per uocale uerbum ſu=
am promiſſionem in hunc modum: Ip=
ſum ſemen mulieris conteret caput tu=
um. Gene. 3. Deinde Abrahæ, cum in=
quit: In ſemine tuo benedicentur omnes
gentes. Gene. 22. Item Dauid, ut in Pſal
mo. De fructu uentris tui ponam ſuper
ſedem tuam. Quanquam autem hæ pro
miſſiones in ueteri teſtamento fuerunt
obſcuriores in principio, & quaſi myſte
ria abſcondita, tamen progreſſu tempo=
ris magis ac magis per Prophetas reuela
tæ ſunt, uſque ad Chriſtum, in quo una
cum circumciſione, & alijs ſignis ſibi an=
nexis finem habuerunt. Semen enim,
quod in ueteri teſtamēto nobis erat pro=
miſſum, in nouo Teſtamento eſt exhibi
tum. Atque hæc eſt differentia inter pa=
tres ueteris Teſtamenti & nos, quod illi
crediderunt in promiſſum Chriſtum, &
ſaluati ſunt, nos uero in Chriſtum exhi=
bitum & datum credimus, qua fide &

nos itidem ut illi ſaluamur. Chriſtus uero aperuit nobis myſteria temporibus æternis tacita, Roma. ulti. Hoc eſt, perfecte nobis reuelauit per Euangelium promiſſiones Dei patris, nos ſcilicet conſequi remiſſionem peccatorum, iuſtitiam & uitam æternam, per mortem & ſanguinem ipſius, & quod habeamus propitium patrem, quod exaudiamur a Deo propter ipſum &c. Porro hæ promiſſiones noui teſtamenti Sacramentis tanquam ſignis & ſigillis confirmatæ ſunt, ut eas per fidem procul dubio apprehendamus.

Quot ſunt Sacramenta?

Sacramenta ſunt duo.

I Baptiſmus.
II Cœna Domini.

HIs duobus addunt nunc communiter abſolutionem, quæ tamen ſub Cœna Domini comprehendi poteſt.

Quid eſt baptiſmus?

Baptiſmus

BAptiſmus eſt ſignum gratiæ ſeu remiſſionis peccatorum, & donationis Spiritus ſancti, nobis a Chriſto inſtitutum.

Quæ ſunt uerba inſtitutionis Baptiſmi?

Verba de inſtitutione Baptiſmi ſcripta ſunt Matthei ulti. in hunc modum.

Ite docete omnes gentes baptizantes eas in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti.

Et Marci ultimo.

Qui Crediderit & Baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui uero non crediderit condemnabitur.

Hæc uerba & ſubſtantiam & uſum baptiſmi oſtendunt. Ad ſubſtantiam enim baptiſmi, requiruntur hæc tria, ſcilicet:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

I Inſtitutio.
II Verbum.
III Elementum.

INſtitutionem Chriſti habemus in hoc mandato: Baptizantes eas. Verbum uero cum inquit, In nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, de Elemento loquitur Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. unde Auguſtinus inquit, Accedit uerbum, ſcilicet, iuxta inſtitutionem Chriſti, ad elementum & fit Sacramentum.

Vſus uero baptiſmi continetur in his uerbis: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Ideo etiam Paulus uocat baptiſmum lauacrum regenerationis ad ſalutem, quaſi dicat, Poſtquam omnes ex Adam, in peccatis concepti & nati ſumus, adeoque filij iræ Dei, item mortis & damnationis, ita, ut noſipſos, nec a peccato repurgare, nec a morte liberare poſſimus, cum omnes iuſtitiæ noſtræ, nihil aliud ſint, quam pannus ſeu fimbria mulieris immundæ, ut Eſaias teſtatur, Deus

pater

Pater per Ieſum Chriſtum inſtituit hoc ſpirituale balneum, in quo nos a peccatis repurgaremur ac regeneraremur & renouaremur ad æternam uitam, quam nobis in Chriſto donauit.

Porro hic uſus baptiſmi durabit per omnem uitam noſtram, ut nunquam ſit opus rebaptizari. Nam ideo etiam nomen noſtrum in baptiſmo accepimus, ut perpetuo nos admoneat de eodem baptiſmo, & promiſſionibus Dei. Statuamus itaque nobis in baptiſmo donatam eſſe remiſſionem peccatorum & reconciliationem, adeoque liberationem, non ſolum ab Originali peccato, ſed etiam ab omnibus peccatis actualibus, ne nobis imputentur a Deo, nec dominentur in mortali corpore noſtro. Sicut inquit Paulus Roma. 6. Tanquam ex mortuis uiuentes, id eſt, quanquam peccatũ hęret in carne, non tamen moriemini, ſed uiuetis, quia peccatum uobis non imputatur. Et Auguſtinus, Peccatum in baptiſmo remittitur, non ut non ſit, ſed ut non imputetur. Imo ſtatuamus nos in

baptiſmo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

baptiſmo liberatos eſſe ab omni iure pec
cati, mortis, & Satanæ, nobiſque reſtitu-
tam eſſe iuſtitiam Originalem, & omnia
quæ per Adę lapſum amiſimus in Para-
diſo, Nam cum antea eramus filij iræ,
nunc renati ſumus in filio Dei, ad uitam
æternam.

Quæ eſt Forma baptiſmi?

FOrma baptiſmi hęc eſt. Ego baptizo
te in nomine patris, & filij, & Spiri-
tus ſancti, quæ uerba ſummam adferunt
nobis conſolationem. Sicut enim credi-
mus in Deũ patrem, filium & Spiritum
ſanctum, ita etiam in baptiſmo noſtro
adſunt ſimul pater & filius & ſpiritus ſan-
ctus, quemadmodum & in baptiſmo
Chriſti adfuerunt, pater, cuius uox e cœ-
lo audiebatur, & Spiritus ſanctus in ſpe-
cie columbæ. Itaque cum inquit. Ego
baptizo te in nomine patris &c. ſignifi-
cat ſe tantum eſſe miniſtrum Dei, & ba-
ptiſmum eſſe non hominis, ſed ſolius
Dei donum & opus, qualiſcunque inte-
rim ſit miniſter, qui baptizat, quaſi dicat,
Ego

Ego quidẽ baptizo te, id eſt, immergo te in aqua & a peccatis tuis abluo, ſed in nomine patris, id eſt, ipſe Deus pater, qui te creauit, hic adeſt & promittit tibi corporis & animæ conſeruationem. Et filij, id eſt, ipſe Chriſtus Dei filius, qui te redemit, hic adeſt & promittit tibi ſalutem & uitam æternam. Et Spiritus ſancti, id eſt, etiam Spiritus ſanctus hic adeſt, ut te ſanctificet ac uiuificet. Cum igitur hic adſit tota Trinitas & ſua pręſentia tuũ baptiſmum ornet, ut ſignificet ſe tui curam perpetuam habere, ſit & baptiſmus tibi perpetuum ſignum, ut credas in Deum patrem omnipotentem &c.

Sunt ne paruuli baptizandi?

IMo maxime ſunt batizandi, nec eis ullo modo denegari debet baptiſmus, Habemus enim non tantum exempla ueteris eccleſiæ: ſed etiã in ſcripturis mandata de baptizandis paruulis. Nam hoc mandatum, Baptizate omnes gentes, cum ſit uniuerſale, hoc eſt, ad omnes pertinet, etiam infantes complectitur.

Item

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Item niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, nõ poteſt introire in regnũ Dei, nunc autem ſcimus regnum Dei & promiſſiones etiam ad pueros pertinere, quia Chriſtus inquit, Talium eſt regnum cœlorum. Item non eſt uoluntas coram patre ueſtro, qui eſt in cœlis, ut pereat unus de puſillis iſtis. Imo Angeli eorum ſemper uident faciem patris &c. ergo non eſt illis prohibenda renaſcentia, ſine qua nemo poteſt introire in regnum Dei. Nam hæ ſententię clare teſtantur paruulos Deo placere & cuſtodiri eos per angelos ad ſalutem, Præterea clarum eſt, quod pueri inſerendi ſunt Eccleſiæ, & cum promiſſiones, quia ſunt uniuerſales, etiam ad infantes pertineant, adhibendum eſt ſignum quod teſtatur ad eos pertinere promiſſiones. Neque obſtat, quod infantes non intelligant uerbum, cum Deus alioqui ſit in eis efficax. Sicut in Ioanne fuit efficax etiam in utero matris. Nec noſtrum eſt ſcrutari, quomodo Deus in eis agat. Illud nos tenere ſatis eſt, ſalutem a dinfantes pertinere, unde

ſequitur

ſequitur Deum in eis efficacem eſſe. At-
que hæc eſt cauſſa, quare corpora infan-
tium, qui ad baptiſmum pertingere non
poſſunt, etiam in cœmeterio cum ſan-
ctorum corporibus quieſcere permit-
tantur. Porro uetuſtiſsimi ſcriptores Ec-
cleſiæ probant baptiſmum paruulorum
ex traditione Apoſtolorum. Sic enim
ſcribit Origenes in ſextum caput ad Ro-
ma. Eccleſia ab Apoſtolis traditionem
accepit, etiam paruulis dare baptiſmum,
ſciebant enim illi, quibus ſecreta diuino-
rum myſteriorum commiſſa ſunt, quod
eſſent in omnibus genuinæ ſordes pec-
cati, quæ per aquam & ſpiritum aboleri
deberent. Idem Cyprianus & Auguſti-
nus de baptiſmo paruulorum ſentiunt,
ſcilicet eos eſſe nobiſcum homines, &
in peccatis conceptos & natos; Ideoque
opus habere, ut quamprimū baptizen-
tur, & ſine dilatione recens nati mun-
dentur. Quemadmodum & Iudęis præ-
ceptum erat, ut ſuos paruulos octauo die
circumciderent, ut ſic ſtatim connume-
rarentur in populum Dei. Quis ergo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

prohibet, quo minus noſtri paruuli, qui Iudæorũ paruulis non ſunt inferiores, Eccleſiæ per baptiſmum inſerantur, & in populum Dei connumerentur, cum baptiſmus ſit oſtiũ & ingreſſus in Eccleſiam Dei. Petrus Apoſtolus, ut eſt in actis Apoſtolorũ cap. 2. de baptiſmo loquens non auſus eſt paruulos excludere, quin ipſorum etiam mentionem faceret: Baptizetur, inquit, unuſquiſque ueſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis enim eſt promiſſio & filijs ueſtris, quaſi dicat. Neque filij ueſtri, etiamſi ſunt paruuli & adhuc infantes a baptiſmo excludentur, cum tam ad illos, quam ad uos promiſſiones Dei pertineant. Cum igitur Conſtet, tam ex ſcriptura, quam ex patribus, baptizandos eſſe infantes, non ſunt audiendi, qui negant baptiſmum paruulorum.

Quid eſt cœna Domini?

Cœna Domini, quam ſic Paulus uocat, eſt Sacramentum ab ipſo Chriſto inſtitutum, in quo uerum corpus & uerus

uerus ſanguis Chriſti nobis exhibetur in remiſſionem peccatorum. Sicut enim ſemel baptizamur in remiſſionem peccatorum, ita etiam ſubinde manducamus corpus Chriſti, & bibimus ſanguinem Chriſti in remiſſionem peccatorum, hoc eſt, ut per hæc duo ſigna, nobis a Deo per Chriſtum donata, certi ſimus de remiſſione peccatorum, nec dubitemus unquam, quin habeamus propitium Deum propter Chriſtum.

Quæ ſunt uerba cœnæ Dominicæ?

Verba cœnę Dominicę ex Euangeliſtis & ex Paulo collecta hæc ſunt.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus in ea nocte, qua traditus eſt, accepit panem & cum gratias egiſſet, fregit ac dedit diſcipulis ſuis dicens: Accipite & cōedite, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis traditur, hoc facite in mei commemorationem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Similiter & calicem accepit, poſtquam cœnauit, & cum gratias egiſſet, dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, qui pro uobis effunditur in remiſſionem peccatorum, hoc facite, quotieſcunque biberitis, in mei commemorationem.

Hæc uerba huius Sacramenti & ſubſtantiam & uſum oſtendunt. Subſtantia enim in his tribus conſiſtit, quę ſunt.

I Iuſtitutio.

II Verbum.

III Elementum.

INſtitutio eſt Chriſti mandatum, ſcilicet Comedite, Bibite ex hoc omnes.

Verbū eſt, cui fidem habere debemus, Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.

Elementum eſt panis & uinum, ut Paulus inquit, panis quem frangimus &c.

Accedit

Accedit autem uerbum ad elementū, iuxta inſtitionem Chriſti, & fit Sacramentum, ut inquit Auguſtinus. Vſus uero eſt in his uerbis: Quod pro uobis traditur, qui pro uobis effunditur in remiſſionem peccatorum. Item hoc facite in mei commemorationē. Hic enim eſt principalis uſus cœnæ domini, ut teſtetur nobis exhiberi res in Euangelio promiſſas, ſcilicet, remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem propter Chriſtum, hæc etiam debemus commemorare in ſumptione huius Sacramenti, quod Chriſtus nos redemit per hoc, quod ſuū corpus in mortem tradiderit, & ſuum ſanguinem effuderit pro nobis, ſicut & Paulus iubet, cū inquit. 1. Corin. 11. mortem Domini annunciabitis, donec uenerit, hoc eſt, uſque ad extremum diem.

Duo itaque a nobis hic requiruntur, primum ut credamus ea, quę Chriſtus dicit, deinde ut faciamus ea, quæ iubet. Dicit autem, Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus. Credamus ergo, in cœna Domini, eſſe uerum corpus & uerum

ſanguinem Chriſti. Iubet uero, cum inquit accipite & comedite. Item Bibite ex hoc omnes, & facite in mei. i. meæ mortis cõmemorationem. Faciamus igitur iuxta mandatum Chriſti, ne damnemur cum illis, qui hanc cœnam contemnunt, & uix integro anno ſemel communicãt, idque magis iuxta conſuetudinẽ quã ex neceſſitate. Dauid inquit, Maledicti omnes, qui declinant a mãdatis tuis, ergo reuera etiã maledicti ſunt, qui cõtemnunt hoc Chriſti mandatũ: Comedite corpus meũ & bibite ſanguinẽ meum. Tales contemptores perinde faciunt, ac ſi quis inobediens & ingratus ſubditus, magnum & liberale donum a ſuo principe acceptum, proijceret in lutũ ante oculos principis & pedibus cõculcaret, dignus profecto, qui non tantum omnibus ſuis bonis priuaretur, ſed etiam ultimo ſupplicio afficeretur, propter ignominiam & contumeliam, qua proprium ſuum principem, pro ſua inobedientia & ingratitudine affecit. Putas ergo q̃d Chriſtus, qui eſt Rex regum & Dominus dominantium

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

nantium patiatur ſuum ultimum & me-
morabile teſtamentum ita abs te cõtem-
ni & quaſi pedibus conculcari? Tu glo-
riaris te eſſe Chriſtianum, imo uirum
ualde Euangelicum, & interim contem-
nis Chriſti teſtamentum. O ſtulte, neſcis
quod interim etiam contemnis tuam ip-
ſius ſalutem, remiſſionem peccatorum,
iuſticiã, uitam æternam, Chriſtum, De-
um, cœlum, & omnia quæ Chriſti ſunt?
quid ergo reſtat, niſi ut pereas in æternũ,
propter hanc tuæ inobedientiæ et tui cõ-
temptus alapam, quam Chriſto omniũ
ſaluatori dare non erubeſcis? Quid opus
eſt, inquit, toties accedere ad Sacramen-
tum? Reſpondet Chriſtus, Vade poſt
me Satana, ſi non cõmunicaueris meum
corpus & meum ſanguinem, ſed per
contemptum aut negligentiam tua fre-
quenti abſentia et meum mandatũ tranſ-
greſſus fueris, et alios tuo malo exemplo
ſcandalizaueris, amen dico tibi, non ha-
bebis partem mecum, Et quia hoc meũ
donum contemnis, carebis etiam dono
æternæ uitæ. Non eſt igitur quod quiſ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

magis inſontem, qui contemnit hanc cœ nam Chriſti, quam qui aſſumit nomen Domini in uanū, aut aliud unum ex man datis Dei tranſgreſſus fuerit. Non ioca= tur Chriſtus in cœna cum inquit, Come= dite, bibite, ſed ſeria res eſt. Neque eſt hu= manum ſomnium aut figmentum, ut ita contemni debeat, ſed inſtitutio ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti eſt, quemad= modum ipſa uerba teſtantur.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Hic habes autorem & inſtitutorem hu ius Sacramenti, quem qui ſpernit, etiam eum, a quo miſſus eſt, ſpernit.

Ea nocte qua tradebatur.

HIc tēpus ipſum te admonebit, quod Chriſtus hunc theſaurū in extrema ſuæ uitæ corporalis nocte aperuit, ut ſit omnibus Chriſtianis, quaſi ultimum Chriſti teſtamentum & memoriale, ut uo cant, quod fiat in ſui commemoratio= nem, donec uenerit ad iudicium.

Accepit panem.

Habes

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Habes elementum ad quod uerbum accedit & fit Sacramentum.

Et poſtquam gratias egiſſet, dedit eis.

Vides ne eſſe precioſum Dei patris donum, Et Ieſum Chriſtũ agere gratias ſuo patri pro eo, quod tu impie contemnis.

Accipite & commedite.

Hoc mandatũ requirit tuam obedientiam, quod ſi trangreſſus fueris, puniet Deus tuam inobedientiam hic & in futuro ſeculo.

Hoc eſt Corpus meum.

Hæc uerba requirunt tuam fidẽ, & ſimpliciter ſine omni calumnia & deprauatione, credas in cœna Domini eſſe uerum Corpus Chriſti.

Quod pro uobis traditur.

Hic audis conſolationem quod Chriſtus pro te traditus eſt in mortem, quare non eſt, quod mortis ipſius teſtamentum contemnas.

Hoc facite in mei commemorationem.

Hæc uerba itidem tuam obedienti-
am requirunt, ut ſcilicet, ſæpenumero
ad communionem accedas, & mortem
Domini annuncies, donec uenerit.

Similiter & calicem &c.

Hæc eſt ſecunda ſpecies Sacramenti,
quam eadem nocte inſtituit, & pro
qua Deo patri ſeorſim gratias egit, ut
oſtendat eſſe donum a nullo unquam
homine contemnendnm.

Bibite ex hoc omnes.

HOc mandatum eſt uniuerſale, ne
quisquam arceatur ab hac ſpecie ſi-
ue ſit laicus ſiue clericus, ſed omnes Chri-
ſtiani ſub utraque ſpecie communicen-
tur. Omnes inquit bibite, quaſi dicat,
ſcio uenturos aliquando fures, qui ma-
iori patri meæ Eccleſiæ hanc ſpeciem
ſubtrahere præſumant.

Hic eſt Calix.

Hæc uerba itidem requirunt tuam fi-
dem, ut credas in cœna Domini eſ-
ſe uerum ſanguinem Ieſu Chriſti, quo
ipſe confirmauit & conſummauit No-
uum

uum teſtamentum .i. Nouam illam con=
fœderationem inter Deum & homi=
nem, ſcilicet quod Deus uelit eſſe noſter
Deus, ſaluator, liberator, defenſor, & om=
nium bonorum ſuppeditator propter ſo=
lum Chriſtum, q̃dque nos uiciſsim au=
diamus Deum, confidamus in uerbo
eius, credamus Chriſtum eſſe iuſtitiam
& ſalutem noſtram. Hoc eſt Nouum
teſtamentum ſanguine Ieſu Chriſti ſan=
ctum & confirmatum.

Qui pro uobis effunditur.

Hæc eſt rurſum conſolatio, q̃d eun=
dem ſanguinem nobis donauerit
in Sacramento, quem in cruce pro no=
ſtris peccatis effudit. Si autem eſt ille
precioſus ſanguis, de quo Petrus 1. Pet.
1. quare abs te in nullo precio habetur?
Certum ſignum eſt te non fore partici=
pem mortis & ſanguinis Chriſti. Porro
quidam addunt huc ex Marco particu=
lam. ET PRO MVLTIS, qua intel=
ligi debent omnes credentes. Nã Euan=
gelium eſt uniuerſale. Ideo inquit, pro
multis. i. pro omnibus qui per ſermonem
ueſtrum credituri ſunt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

in remiſſionem peccatorum.

HIc eſt uerus uſus huius Sacramenti, ſcilicet: quod eſt ſignum remiſſionis peccatorum, qua ſi te opus habere non putes, præſtat abeſſe a Sacramento. Si uero deſideras remiſſionẽ peccatorũ, quare non accedis ad Sacramentum, ut de ea certior fias, pro qua omnis ſanctus orat in tempore oportuno. Quamprimũ ſenſeris te opus habere remiſſione peccatorum, iam iam eſt tempus oportunum & confugiendi ad Chriſtum, & accedendi ad Sacramentum.

Hoc facite.

RVrſum generale mandatum ad omnes, ut ſemper adſcribant ſoli ſanguini ſaluatoris Ieſu Chriſti ſuam ſalutem.

De his omnibus duxi neceſſario admonendos eſſe huius Sacramenti contemptores, ut uel in tempore pœnitentiam agant & reſipiſcant, uel ſuper lapidem Chriſtum cadant & confringantur. Paulus non laudat eos, qui contemnunt eccleſiam Dei, 1, Corin. 11. Imo condemnat eos,

nat eos, qui diuitias bonitatis Dei contemnunt, Rom. 2. Videant ergo, ne ueniat ſuper eos, quod dictum eſt in Prophetis. Videte contemptores & admiramini & diſperdimini.

Qui ſunt illi, qui digni ſumunt hoc Sacramentum?

RESpondet Paulus, Qui mortem Domini annũciant donec uenerit, hoc eſt, qui agentes pœnitentiam credunt ſibi remitti peccata propter mortem & ſanguinem Chriſti, & ad confirmandam hanc fidem utuntur hoc Sacramento.

POrro de abſolutione loquitur Chriſtus Matth. 18. cum ſic inquit. Vbi duo uel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorũ. Et Ioan. 20. Quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.

Eſt autem abſolutio duplex:

I Publica.

II Priuata.

PVblica abſolutio fit in ſingulis concionibus, quia prædicatio Euangelij

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

nihil aliud eſt, quam annunciatio remiſ-
ſionis peccatorum. Item ad altare, cum
dicit: Dominus uobiſcum, & Pax uobis,
& in cœna Domini, Hoc eſt corpus me-
um, quod pro uobis traditur, Hic eſt ſan-
guis meus qui pro uobis effunditur in
remiſsionem peccatorum, meræ abſolu-
tiones ſunt. Nam annunciat pacem &
remiſsionem peccatorum credentibus,
propter mortem & ſanguinem Chriſti.
Nihil enim aliud ſignificat Abſoluere,
quam annunciare credentibus in Chri-
ſtum gratuitam remiſsionem peccato-
rum, propter Chriſtum. Imo fidelis &
pius uerbi miniſter nunquam aperit os
ſuum, uel in ſuggeſto uel ad altare, quin
abſolutionem dicat.

Priuata uero abſolutio eſt, qua mini-
ſter uerbi ſeorſim in confeſsione, quam
uocant auricularem, ſingulis, poſtq̃ eos
ex ſcriptura conſolatus fuerit, remiſsio-
nem peccatorum annunciat. Hæc etiam
neceſſaria eſt propter afflictas conſcien-
tias, etiamſi ad eam nemo cogatur, ſicut
nec enumeratio omnium peccatorum
exigatur

exigatur in confeſsione priuata, ut ſupra dictum eſt. Non tamen eſt contemnenda hæc confeſsio, ſicut neque cœna Domini, neque prædicatio Euangelij. Nam ſicut Chriſtus ipſe, per miniſtrum uerbi, prædicat Euangeliũ, baptizat infantem, communicat ſuum corpus & ſuum ſanguinem, ita etiam ipſemet in priuata cõfeſsione per miniſtrum abſoluit ac remittit peccata. Sed contemptoribus perinde eſt, ſiue publice ſiue priuatim abſoluas. Illis Chriſtus non eſt Chriſtus, Dum ſic omnia deſpiciunt, & non ſolum priuatam confeſsionem, ſed etiam publicas conciones, cœnam Dominicam & totum uerbi miniſterium contemnunt, donec tandem impingant in lapidem angularem Chriſtum & intereant. Nam qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur, ſuper quem autem ceciderit conteret eum. Imo tolerabilius erit Sodomæ & Gomorræ, in extremo die, quam illis contemptoribus.

Atque hæc de Sacramentis dicta ſufficiunt pro Catechumenis.

Summa Catechiſmi.

Non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

NOn ſine ſingulari ordinatione Dei conſtitutum eſt, ut rudibus & illiteratis hominibus decem præcepta, Symbolum, & oratio Dominica cum duobus Sacramentis proponantur diſcenda & cognoſcenda. In his enim paucis comprehenduntur omnia, quæcunque in tota ſacra ſcriptura continentur, & quicquid homini neceſſarium eſt ſcire ad ſalutem. Iſque tam beuiter & tam clare, ut nemo ſit, qui aut iure conqueratur, aut excuſet ſe, quaſi nimium aut graue ſit, ut diſci & cognoſci nequeat. Nam tria ſunt homini neceſſaria ut cognoſcantur ad ſalutem.

Primo, ut ſciat quid facere & omittere debeat.

Secundo Quando iam uidet ſe non poſſe, nec facere nec omittere ſuis uiribus, ea quæ ſunt facienda & omittenda, ut ſciat, ubi quærendum, inueniendum & accipiendum ſit illud, per quod facere aut omittere poſſit.

Tertio, ut ſciat, quomodo illud quęrendum & adferendum ſit.

Quemad-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Quemadmodum ægroto homini neceſſariū eſt in primis , ut bene cognitum habeat quonā morbo laborat , quid poſſit aut nō poſſit facere uel omittere. Deinde neceſſe eſt eum ſcire , ubi ſit remediū, quo iuuare queat, ut id faciat & omittat, quod decet ſanum hominem. Poſtremo curabit illud ad ſe ferri & medijs quibuſdam ut potionibus & balneis adhiberi.

Ita decem præcepta docent hominem ſuum morbū cognoſcere, ut ſentiat & experiatur, quid facere & non facere, omittere & non omittere poſſit, & agnoſcat ſe peccatorem ac peruerſum hominē eſſe.

Deinde Symbolum ei proponit atque eum docet, ubi remedium, hoc eſt, gratiam inueniat qua iuuetur , ut fiat probus & decem præcepta faciat, & quę illi Deum & miſericordiam Dei, in Chriſto exhibitam & oblatam oſtendat.

Poſtremo docet eum oratio Dominica, quo pacto eandem gratiam quęrat & adferri curet, ſcilicet, per ordinariam, humilem & conſolatoriam orationem. Sic tandem conſequetur eam , & ſaluus fiet,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

per lauacrum regenerationis & renoua-
tionis Spiritus ſancti, quem Deus effudit
in nos opulenter per Ieſum Chriſtum ſal
uatorem noſtrum, qui nobis inſuper pro
ſpirituali refectione ſuum proprium cor
pus ad manducandum dedit, & ſuum
proprium ſanguinem ad bibendum pro
pinauit. Hæ ſunt præcipuæ partes, quæ
in ſcriptura ſacra, tractantur a principio
uſque ad finem. Sit Chriſto gratia in æter
num, Amen.

AD LECTOREM.

Titulus huius libelli me ſatis excuſat
Optime lector, quare has, in Ca-
techiſmum, annotationes craſſiori cala-
mo magis effudi quam ſcripſi. Nam ita
oportet nos condeſcendere infirmitati
aliorum, propter gloriam Chriſti & com
munem Eccleſiarum ſalutem, quibus uti-
nam, donec uixero, ſtudere poſſim. Por-
ro Chariſſimus frater noſter in Chriſto
M. Ioannes Slauus, uir piæ memoriæ, qui
fuit hactenus Superintendens Eccleſia-
rum Ripenſium, ut primus, ita uigilan-
tiſſimus, nunc uero dormit in Chriſto &
requieſcit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

requieſcit in pace, rogauit me in proxi-
ma Synodo, ut ſynceris ac fidelibus Ec-
cleſiarum Danicarum paſtoribus has
meas ſpirituales cogitationes, & hæc
quantulacunque Dei dona communica-
rem, ſed maior neceſſitas poſtulabat, ut
Noruegianis fratribus noſtris hoc nomi
ne inſeruirem. Illi enim iam aliquandiu
uexati ſunt & iacentes ſicut oues non ha
bentes paſtores. Quanquam autem non
ſunt ſine archipaſtore noſtro Ieſu Chri-
ſto, tamen adhuc etiam hodie paſſim
uexantur, niſi quod domini noſtri & fra
tres in Chriſto dilectiſſimi M. Gebelus
Petræus Superintendens Eccleſiarum
Bernenſium diligentiſſimus, & D. Ionas
Gothormi nuper conſtitutus Superinten
dens Stauangerienſis dioceſis, ſuum of-
ficium ex gratia Dei fideliter faciunt, &
Chriſtiano gregi, in quo Spiritus ſan-
ctus poſuit eos Epiſcopos regere Eccle-
ſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo,
diligenter ſuperintendunt, donec ipſius
Eccleſiæ caput Chriſtus etiam reliquis
Noruegiæ dioceſibus doctos & fideles

 Superin-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

[illegible] deeſſent, pro quibus
conſequendis rogandus eſt ipſe Domi-
nus meſſis, ut ſcilicet, mittat fideles ope-
rarios in meſſem ſuam, quia regio Nor-
uegiana nunc alba eſt ad meſſem. Feci
itaque titulum, pro Parochis Noruegia-
nis, ut & ipſi conſolationem accipiant ac
ſperent breui futurum auxilio Dei, ut ſin
gulę dioceſes ſuum habeant Superinten-
dentem. Studebo etiam pro parochis
noſtris, ut fratris mei, iam dormientis in
Chriſto, pijſsimæ petitioni cum tempo-
re ſatis faciam. Deinde non eſt, quod
quisquã exiſtimet me has annotationes
propterea effundere ut per eas, excuti-
am pijs parochis e manibus, aut paruum
Lutheri Catechiſmum, aut aliorum in ex
plicando Catechiſmo, fideles labores, ſed
ut aditum faciam imperitioribus tam ad
aureum Lutheri Catechiſmum unice ad-
mirandum & exoſculandum, quam ad
ea amplectenda, quæ reliqui noſtri præ-
ceptores in lucem ediderunt. Quan-
quam enim anteferendi ſunt omnibus
modis, qui ſupra fundamentum hoc, ſci-
licet,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

licet, paruum Lutheri Catechiſmum, in quo unicum noſtrum fundamentum, quod eſt Ieſus Chriſtus, nobis proponitur, aurum, argentum & lapides pecioſos ſuperædificant, quia tamen ligna, fœnum & ſtipula ſuum etiam uſum & ſuam utilitatem habent, non ſunt contemnendi, qui hæc quoque ſuperædificant ad gloriam Dei ſempiternam.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

NICOLAI ERICII SVIN-borgenſis δεκάστιχον.

NOſcere fortè rogas, ut ſe patefecerit orbi,
    Quaue coli mandat ſe ratione, Deus?
Huc ades: En ſancti quæcunq; ab origine Patres,
    Inde ſimul Vates quæ cecinere pij.
Ac Patris æterni ſoboles, humana prehendens
    Viſcera, quid docuit, quale ſubiuit onus.
Hoc ea cuncta uides, mira breuitate, libello,
    Sedula Palladij quem tibi cura dedit.
Nam quærenda Dei tibi quæ ſit Lege uoluntas,
    Robur & hic fidei iuſtificantis habes.
Flectere ſi precibus cupis in tua uota Tonantem?
    Noſtra quibus ſignis ſtabilienda fides?
Huc oculos animumq; tuum conuerte, patebit
    Mox aditus, ſacrum uoluere dogma manu.
Nunc æterne Deus querula te uoce precamur,
    Ipſe tuum ut ſerues ac tueare gregem.
Hoſtis tu Stygij ſæuos compeſce furores,
    Qui cupit extinctum nomen in orbe tuum.
Parua tibi curæ, geminam quæ ſuſpicit Arcton,
    Halcyone, tumidis ne ſubigatur aquis.

Iohannes

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

IOHANNES GEORGIVS
Vibergius.

AD ſe diuino teneros uocat ore puellos
Chriſtus, Ieſſæo ſanguine natus homo.
Hoſq; docet dulces hæredes eſſe ſalutis:
Atq; ſalutifero, ritè placere, Deo.
Eſt iter ad Chriſtum, ac iter eſt ad culmina cœli,
Vt bene diſcantur dogmata uera Dei.
Dogmata uera Dei, puer o pietatis alumne,
Palladij tradunt hæc elementa tibi.
Hunc quoties uolues diuina mente libellum,
Vt Chriſti cœtus floreat uſq;, roga.

IMPRESSVM VVITEBER-
gæ, Per Vitum Creutzer 1552. Ex-
penſis Nicolai Foerd Ciuis & Bi-
bliopolæ Haffnienſis, apud
quem etiam uenale extat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1265 8°